ANT. PHILIPPI PEREGRINII I. C.

DE

INTERPRETATIONE IN IURE

DISSERTATIO





PISIS. ANNO MDCCXCIII.

IN TYPOGRAPHIA ARCHIEP. APUD RAYNER. PROSPERI

CUM APPROBATIONE.

ANTONII PHILIPPI PEREGRINII I. C.

DE

INTERPRETATIONE IN IURE

DISSERTATIO.

I. Interpretatio, quod unum est ex assiduis, ac difficillimis officiis I. Cti est explicatio, atque expositio dicti obscuri, aut ambigui loquentis, aut facti, quod non aperte, sed obscure, vel ambigue sententiam eius adumbrat. Posita est igitur maxime in explicatione, atque expositione obscuri, vel ambigui. Nam quæ aperta, non indigent interprete.

II. Obscurum est, cuius mens latet in tenebris. Ambiguum quod duas, pluresve sententias recipit.

III. Ex allata definitione §. I. constat, interpretem ante omnia solicitum esse debere I de vera lectione scripturæ, eaque in re uti debere omnibus regulis artis criticæ: II. nosse debere cuius ætatis, et cuius sectæ fuerit Auctor, cuius interpretationem quærit. Is enim in animo habuit res

sui temporis, ætatis suæ, suæque sectæ dogmata. Unde qui Leges Romanas interpretatur debet in historia, et antiquitatibus Romanis, in legibus, moribus, et statu illius temporis esse versatus. III oportere, ut auctoris explicandi sermonem, linguamque calleat: vel si minus, utatur optimis, fidissimisque interpretibus. IV. maxime ut scopum, finemque ultimum habeat exploratum. Hic enim moderatur mentem, ac stylum dicentis. Oratio autem testatoris vel est plana, atque aperta, vel obscura, vel ambigua. Obscura, cum non exprimit aperte, quid ei fuerit in animo. Ambigua, cum duo, vel plura significare potest, sed non apparet, de qua ille re senserit. Si oratio aperta est: quid agendum præcipit Paulus *L. ille*, 25. § 1. *de legat.* 3. *Cum in verbis*, inquit, *nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio.*

IV. Quod si ex his fontibus certa interpretatio duci non possit: in re dubia I. sequemur naturalem significationem verborum. Solent enim homines mentem suam exponere iis signis, quæ certam apud populum significationem habent, qualia sunt verba in significatione propria, et populari accepta.

V. Quod si adhuc in obscuro sit sententia: I. quærenda sunt in contextu ipsius Auctoris alia loca, ubi ipse vel suam sententiam proferat apertius, vel pateat quam sententiam verbis illis tribuere soleat. Præterea II. ex natura subiecti attributum, seu prædicatum intelligitur: et versa vice ex indole prædicati potest intelligi, de hoc, au de illo subiecto senserit auctor. Prædicatum namque debet conve-

uire subiecto. Ac potissimum adiuncta, seu contextus orationis, quæ præcedunt, quæque sequuntur facem nobis admovent. Quæ omnia accurate pervestiganda. Iuvat etiam consulere I. iuris constitutionem: II. ipsius loquentis, ac regionis consuetudinem, et usum: III. scientiam, vel ignorantiam dicentis: IV. adiuncta omnia cum personæ loquentis, tum scripturæ, tum eius, ad quem sermo dirigitur: V. denique quid maxime verisimile, spectandum, et quid in re proposita humanius, atque benignius. Semper enim in dubiis benigniora præferenda. *L. Maiorem*, 8. *de pact. L. Semper*, 56 *de R. I*

VI. Quin etiam, in antiquis præsertim amici, et interpretes auctoris eiusdem, vel proximæ ætatis possunt nobis lucem præferre minime aspernandam, qui proinde in consilium adhibendi sunt nobis, ut in itinere nobis ignoto ductorem quærimus, ac sequimur.

VII. Has regulas hodierni Logicæ artis magistri proponunt quasi de communi consensu. Iuris naturalis, ac gentium scriptores in hac provincia desudarunt: sed alii alias sententias protulere inter se adeo non consentientes, ut sese alter alterum subvertat. Iuris Civilis Interpretes plurima congessere: at pleraque ad singularia pertinent, ac propemodum innumera, et infinita, a quo genere non longe abest ipsius Placcii *de Ido perfecto*, sive *de interpretatione* liber: maxime vero Stephanus de Federicis, et qui supra multos alios sapit Alderanus Mascardus de *Generali Statutorum interpretatione*. Quos vincit Mevius in *Quæstionibus præliminaribus ad Statutum Lubecense*. Minus incomptus

est Valentinus Guilelmus Forsterus *Thesaur. Otton. Tom. II.* Ego vero paginas implerem nominibus Scriptorum, et titulis librorum, si omnes recensere vellem qui de interpretatione commentati sunt. Quod et ab instituto, et a more meo alienum est, maxime cum priores Auctores sigillatim ad incudem revocaverit Placcius *l. c. Cap.* 2. Quis non credat doctum *Hermeneutica artis* scriptorem Eckhardum satisfactorum votis? Ego vero opus illud omnibus attente prælegendum existimo. Sed quis non videt, quam impar sit hic liber desiderio Itorum?

VIII. Quid ergo? Viri præstantissimi iam admonuere, I Ctos defici iusto, bonoque tractatu de interpretatione. Ob eam rem mihi in mentem venit, ut de interpretatione aliquid meditando elaborarem. Anne ego maior omnibus I. Ctis? An mihi ipse tantum tribuo, ut potem tanto oneri humeros meos sufficere? Minime vero. Ego, etsi complures iam annos insumpserim in studiis iurisprudentiæ: tamen longe absum ab hoc errore, ut aliquid mihi tribuam in hac disciplina. Sed tentare volui, si quid ego possem, ut alios magis idoneos provocarem ad elaborandam in hac difficili provincia. Iam, quæcunque futura sit operi meo merces, quæ mihi ea de re in mentem venerant, summatim exponam non prolixa dissertatione. Atque in ipso iam limine fateor, me magnopere adiutum fuisse a patre meo amantissimo Bartholomæo Francisco Peregrinio Pandectarum ordinario in Academia Pisana Professore nunc emerito singulari, eodemque amplissimo Beneficio Principis optimi FERDINANDI III. Archiducis Austriæ, ac Boemiæ Magni

Ducis Etruriæ feliciter regnantis, cum Ius Civile iam per XLVIII. annos in eadem Academia ex superiori loco sedulo docuisset. Imo potissima, quæ hic proponam, fateor, ma ipsi debere, qui me a literarum elementis quasi manu per liberales disciplinas gradatim ad sublimem usque iurisprudentiam deduxit, ac mihi, sed et aliis studiosis bene compositæ mentis, fuit instar propemodum alterius euiusdam magni Cuiacii.

IX. Versatur interpretatio iuridica I. in legibus: II. in testamentis, codicillis, ac mortis causa donationibus: III. in pactis, et contractibus: IV. in constitutionibus iuris: V. in iudiciis, decretis, et Sententiis iudicum.

X. Vis, et potestas cuiuscunque actus posita est in animo, et sententia facientis, non in figura verborum. Verba enim ancillantur voluntati, cum sine animi signa ad voluntatem, ac sensum nostrum declarandum.

CAP. I.

De interpretatione ultimarum Voluntatum.

XI. A facilioribus inchoandum esse, nemo ignorat. Ea mihi ratio fuit, quare putarem, initium mihi ducendum ab interpretatione testamentorum, similiumque actuum. Primum namque agitur hic de unius privati hominis voluntate facilius, quam duorum, pluriumve assequenda. Deinde libri iuris abundant exemplis, quæ plurimum valent ad regulas illustrandas, et confirmandas argumentis. Denique a communi sensu facile quisque ducit argumentum, et se ipse interrogat unusquisque: si ego istud vellem, quid facerem? quid dicerem?

XII. Quod si testatoris voluntas appareat ex verbis: standum scripturæ. Paulus *L. ille*, 25. §. 1. *de legat*. 3. Unde I si dixero: *Titius accepit V. Seius hoc amplius fundum*, hæc oratio significat, singulos habuisse V. Seium vero et V. et præterea fundum. *L. Si pure*, 54. *de legat*. 3. Item II. si testator sic dixit: *Primo fundum Tusculanum dato. Amplius, quam Titio legavi, heres meus Seio X. dato*. Fundi Tusculani dimidium uni, dimidium alteri dabimus: Seio preterea X. Sed III. aliud dicendum, si ita scriptum: *Amplius, quam Titio legavi, heres meus Seio X. dato*. Africanus *L. Si Servus*, 108. §. *Si ita*, 7. *de legat*. 1. docet, hæc verba significare, priori legato hunc superadiici, non repeti prius. IV. Si is, qui testamento Titium ex par-

ce heredem fecerat, codicillis postea factis dicat: *Hoc amplius, quam eum heredem institui, lego illi prædiu illu, vel illa:* habebit et partem hereditatis, et prædia præcipiet. Enimvero, si conditionem institutioni adiecerat: ea conditio repetita censetur in legato, quia verba illa, *hoc amplius*, coniungunt legatum cum institutione. *L. Avia*, 77. *pr. de cond. et dem. L. cum Servus*, 18. §. 1. *de condit. instit.*

XIII. Inde I. Si testator legavit *fundum, qui meus erit cum moriar;* et mortis tempore fundus ei communis sit cum aliis: non totus debetur; ut olim visum Labeoni. Sed pars tantum pro indiviso propria testatoris. *L.* 5. §. 1. *de legat.* 1. II. Si testator leget Titio *fundum, ut eum pro parte habeat:* pars illi dimidia fundi dabitur, *L. plane*, 34. §. *ult. de legat.* 1. quia nuda partis appellatione pars dimidia significatur. *L. etiam*, 43. *de Usufr. L. nomen*, 164. §. 1. *de V. S.* III. Legatis servis omnibus cum peculio, continentur et qui nullum habent peculium, *L. Si cui*, 52. *de legat.* 1. quia, *cum peculio*, significat, præter servos legata esse peculia singulorum, si qua sint. IV. Si legavit ita, *Titio cum Mævio lego:* hoc perinde est, ac si dixisset, *Titio, et Mevio*, ut sint coniuncti, *L. Titiæ*, 26. §. 2. *L. Si quis*, 112. §. 2. *de legat.* 1. *L. ille*, 40. *de us. et usufr. legat.* V. Si ita quis legavit: *Seio cum ducentis, quæ apud eum deposui, trecenta lego:* quingenta debeantur, quia perinde est, ac si dixisset, se legare Seio ducenta apud eum deposita; et præterea alia trecenta. *L. Si is*, 13. *pr. de reb. dub.* VI. Si legavit *Titio, et Seio decem:* non dena, sed quina, hoc est in totum decem una vice debentur. *L. Si quis*, 79. *de legat.* 1.

XIV. Si VII. is, qui sola XXX. erant, sic legavit, *Primo XXX. Secundo XX. Tertio X.* Primo dabimus semissem, nempe quindecim, Secundo decem, Tertio quinque, *L. is, qui*, 80. *de legat.* 1. quia, legata omni summa, sumenda sunt legata omnia ex XXX. neque legatarii omnes conjuncti sunt in totis XXX. quæ reliquit Primo, sed Secundus in besse, Tertius in sextante summæ. Cum Secundo, ac Tertio legavit, Primo abstulit bessem XXX. hoc est XX. et rursus abstulit Secundo sextantem, quem dedit Tertio, idest V. et simul conjunxit Primum cum Secundo, quam Tertio, quo fit, ut Tertius ex suis X. consequi debeat V. sive Secundus cum Tertio simul habeant ex suis legatis in totum XV. quantum Primus. Sunt igitur ambo simul conjuncti in totum cum Primo. Igitur Secundus una cum Tertio habituri sunt XV. et Primus pariter XV. At Secundus habere debet duplum, quam Tertius. Hoc modo ex XV. pertinent X. ad Secundum, V. ad Tertium. *L. is, qui*, 80. *de legat.* 1.

XV. Si VIII. leget fundum, *excepto ædificio*: ad heredem pertinent præter ædes etiam solum, cui ædes impositæ, nisi probetur excipere voluisse superficiem solam. *L. qui fundum*, 81. §. 3. *de legat.* 1. quia ædificii partes sunt solum, tectum, contignatio.

XVI. Si IX. leget *Lucio, et Titio, eorumve cui*: quod alter non capit, ad alterum pertinebit ita, quemadmodum si illa, *eorumve cui*, essent omissa. *d. L.* 81. §. *his verbis*, 8.

XVII. Si X. pater, qui C. pro filia in dotem promiserat, eadem C. legaverit; et centum iterata vice petan-

tur: obstabit actori exceptio doli, *L. huiusmodi*, 84. §. *cum pater*, 6. *de legat.* 1. quia non duplicare, sed tantum repetere voluit obligationem. XI. Si pater, qui dotem, invita filia, repetierat, eidem dotis nomine legatum dedit: filia, si minus in legato sit, quam in dote, superfluum petere potest ultra legatum: si minus; accipiet legatum, et quod deest, dotis nomine petet. *L. Titia*, 34. §. *Qui invita*, 5. *de legat.* 2. XII. Si duos reos habens eiusdem pecuniae, Caium, et Lucium, ita legavit. *Quod mihi Lucius debet, id heres meus Maevia damnas esto dare. Quod mihi Caius debet, id heres meus Sempronio dato*: heres alteri legatario mandare debet actiones suas: alteri eandem summam de suo praestare, *L. non quacumque*, 82. §. *Qui Caium*, §. *de legat.* 1. quia manifestum est, testatorem voluisse multiplicare legatum; a duobus autem reis semel tantum res praestanda.

XVIII Idemque erit XIII. Si duos reos habens Primum, et Secundum, legaverit Primo quod Secundus debet, Secundo quod debet Primus: vel si heres damnatus fuerit a reo non petere, et alteri dare quod debet fideiussor, *L. qui dabt*, 13. *pr. de legat.* 2. *L. Si damnatus*, 10. *de liberat. legat.* quia liberatio rei liberes etiam fideiussorem.

XIX. Si XIV. uxori maritus legavit *uxoris causa parata*, continentur legato et vestes, et argentum, et aurum, et ornamenta, et lectica, et iumenta, et sella, et burdones (quos Accursius pessime interpretatur. Sunt enim muli, qui carrucae potissimum iunguntur. Cuiac. 11. *Obs.* 16. et ad *L.* 8. *de legat.* 1. et ad *L. legatis*, 35. *de legat.* 2.)

et vestimenta ancillis, et lecticariis uxoris parata, denique omnia, quæcunque uxoris gratia parata sunt. *L. hoc legatum*, 45 *L. item*, 49. *de legat.* 3 *L. uxori*, 13. *de aur. et argent. legat.* Nam *paratis* continentur quæcunque empta, comparata, acquisita, sive retenta sunt ipsius uxoris gratia, vel eius usui destinata. *d. L.* 45. *L. Si quid*, 47. *de legat.* 3.

XX. Hæc tamen adiectio, *uxoris causa parata*, potest augere legatum: potest etiam minuere. Nam, si quibusdam rebus, aut rerum generibus legatis apponat adiectionem illam: hæc efficit, ut non omnia legata sint, sed ea solum, quæ in usum uxoris parata sunt. *L. Ea tamen*, 46 *de legat.* 3. *L. Quintus Matius*, 10. *de aur. arg. legat*

XXI At XV. ubi rebus singulis, aut generibus expressis adiicit, *Et cætera ipsius causa parata:* legatum ampliat, et extendit ad non expressa. Unde eo continentur omnia quæcunque uxoris gratia parata sunt. *d. L.* 46. Quo genere continentur et quæ expressa, et cætera omnia cuiuscunque formæ parata uxoris gratia vel post nuptias, vel ante: *d. L.* 45. *L. Si quid*, 47. *de legat.* 3. etiam quæ maritus emerat ad usum sui ipsius, si magis uxori, quam marito inserviant, *d. L.* 45. et quæ, cum ipse illis uti consuevisset, uxori adsignavit postea *d. L.* 45. sive maritus emptione, sive donatione acquisiverit, sive quacunque alio modo: non tamen res in dotem æstimato acceptæ, nisi postea maritus uxori in eius usum assignaverit. *L. Quæsitum*, 78. §. *pen. de legat.* 3. An et quæ prioris uxoris gratia parata fuerunt? Distinguendum. Vel ea posteriori assigna-

vit, idest tradidit in eius usum: et continentur. Vel non adsignavit: et non continentur, quia de posteriore uxore non cogitavit, cum prioris gratia paravit, *d. L.* 47. §. 1. quo loco, ut Cuiac. monuit 12. *Obs.* 8. Florentino Codici praeferenda est vulgata lectio, ubi ita habetur: *Ideoque, quamvis maritus posterioris uxoris causa nihil emerit: tamen tradendo qua prior habuerit, eius causa parata esse videntur. Qua enim posterioris uxoris causa parata sunt, etsi ei adsignata non sunt, legato cedunt.*

XXII. Praeterea XVI. ei libertis fundum cum taberna legavit, atque adiecit: *Sibique eos habere, possidere volo ea lege, ut ne quis eorum partem suam vendere, donareve, aliudve quid facere alii velit: quod si adversus ea quid factum erit: tum eas portiones, pradiumve cum taberna ad remp. Tusculanorum pertinere volo.* Quidam eorum vendidere portiones suas collegatariis, qui Seium extraneum heredem reliquere. Scevola *L. pater*, 38. §. *Quindecim*, 5. *de legat.* 3. respondit, partes venditas ad eorum heredem pertinere, non ad remp. Tusculanorum, quia nempe dum vetuit *alii vendere*, permisit inter eos alienationem: cum autem singulis vetuit partem suam alienare, prohibitio concepta non in rem, sed in personam respicit solam partem, quam cuique dedit. XVII. Rogatus restituere post mortem suam *quidquid ex hereditate superesset*, restituit etiam res comparatas pretio rerum ex hereditate venditarum, quasi permutatas: *L. Imperator*, 70. §. *ult. cum L. seq. de legat.* II. et pecuniam eandem, qua proprios creditores dimisit. *L. idem*, 72. *eod.* quia haec omnis pecunia pervenit ad eum ex

hereditate: item et fructus, qui supersunt. *L.* 3. §. 2. *de usur.* At fructus superfluos restituere non videtur rogatus. Nam fructus ex bonis, non ex hereditate veniunt esse, ut docet Papinianus *L. deducta*, 58. § *pen. ad S. C. Trebellian.* Wissenbach. *Exercitat. ad Pand. Lib.* 36. *Tit.* 1. §. 7. Cujac. *ad Papinian. d. L.* 3. §. 2. negationem expunxit in *d. L.* 58. §. *pen.* sed non recte, ut ostendunt sequentia illa Verba, *deminutionem quidem hereditatis admittunt: fructuum autem additamentum non recipiunt*. Vid. Wissenb. *l. c.* Hodie vero ex Nov. 108. rogatus restituere quod ex hereditate superfuerit, potest diminuere dodrantem, nec plus quadrante retinere tenetur.

XXIII. Ad hæc XVIII. Si pater ab impubere filio uxori dotem prælegavit, atque ornamenta, et pecuniam: deinde a substituto ita legavit: *Quæcunque primis tabulis dedi, eadem omnia ab heredibus quoque heredis mei in duplum dari volo*. Scævola respondit, non videri de dotis duplicanda legato sensisse, nempe quia dos uxori non *datur*, sed *redditur*. Cujac. ad Scævol. Respons. *l. c.*

XXIV. Si XIX. legavit *pocula alexginea paria duo*: unum par, id est duo pocula paria videtur legasse, *L. qui quatuor*, 30. *pr. de legat.* 3 quia si duo paria dicere voluisset, debuisset dicere, *poculorum*, non *pocula*: deinde duo paria non possunt non esse æqualia, quemadmodum possunt duo pocula.

XXV. Si XX. legavit ita, *quidquid in patria Gadibus possideo*, vel *penum*, *quæ Romæ sit*, legare intelligitur et quod est in suburbanis, quia *urbis* quidem appellatio mu-

ris finitur: at, nominatæ civitatis appellatione continentia quoque continentur. *L. uxorem*, 41. §. *legaverat*, 6. *de legat.* 3. *L.* 2. *L.* 4. §. *si ita*, 4. *de pen. legat. L. ut Alfenus*, 87. *L.* 2. *L. in continentibus*, 147. *de V. S.*

XXVI. Rogatus XXI. quidquid ex hereditate, bonisve meis *ad te pervenerit*, *cum morieris*, *restituas*, non restituit fructus perceptos dum vivit, nec quæ fructuum vice eunt, ut pensiones domorum, vecturas navium, aut iumentorum, ut docet Modestinus *L. quod his verbis*, 83. *pr. de legat.* 3. et Papinianus *L. heredes mei*, 57. *ad S. C. Trebell.* quia istæ perceptionee non hereditati, sed ipsis rebus acceptæ feruntur. *L. in fideicommissaria*, 18. §. 2. *ad S. C. Trebellian.* Quibus non contradicit Celsus *L. Ballista*, 32. *ad S. C. Trebell.* qui fructus in restitutionem venire censet ubi testator dixerat, *omnem pecuniam*, *quantacunque pecunia ex hereditate de bonis meis ad te pervenerit*, quia præter dictionem, *quantacunque*, non solam hereditatem nominavit, sed adiecit, *de bonis*. Quod plerisque placuit, ac probavit Hilliger *in Donell.* 7. *Comment. de Iur. Civ.* 26. §. 23. *Not.* 10. et Thomae. *Schol. ad Huber. Instit. de fideicommiss. heredit.* §. 7.

XXVII. Si XXII. legavit *prædia cum prætorio*, *sicut a me in diem mortis meæ possessa sunt*; continentur postrema ista adiectione instrumenta cum rustica, tum domus, non reliqua colonorum. *L. prædiis*, 91. §. 1. *de legat.* 3.

XXVIII. Eadem ratione XXIII. fundi legato non continentur instrumenta, sed tantum fixa, inædificata, *L.* 2. §. 1. *L. cum fundus*, 21. *de instruct. et instrum. legat.* quia *fundi nihil est*, *nisi quod terra se tenet*, ut ait Ulpianus

L. fundi, 17. *pr. de actior. empt.* nulla ex his rebus, quæ moveri possunt, paucis exceptis, ut idem subnicit. At quæ ista *pauca?* Nampe sterquilinium, et stramenta ut idem docet *d. L.* 7. §. 2. XXIV. Si servi optio Titio, *ceteri*, aut *reliqui* Caio legati sint, neque Titius capiat legatum: omnes Caio debentur, *L. ceterorum*, 160. *de V. S.* quia legavit Caio servos, omnes excepto unico, quem reliquit Titio, nempe si hic caperet. XXV. Si legavit uxori villæ usumfructum in quinquennium, *et, peracto quinquennio, cum ejus esse ususfructus desierit, villam Titio:* muliere mortua ante quinquennium, villa non debetur Titio, nisi post quinquennium, *L. uxori*, 35. *de us. et usufr. legat.* quia non ei legavit post finitum uxoris usumfructum, sed post quinquennium.

XXIX. Si XXVI. legavit ita, *Argentum, quod meum erit:* debetur argentum, quod artifici dederat elaborandum, non quod in credito est. *L. scribit*, 34. *pr. L. Quintus Mutius*, 27. §. 1. 4. *de aur. et arg. leg.*

XXX. Eadem ratione XXVII. relictum ei, *qui novissimus supervixerit*, censetur relictum singolis sub ea conditione. *L. quasties*, 11. *de reb. dub.* XXVIII. Si mulier maritum rogavit, ut restituat *quidquid ad te ex hereditate mea pervenerit:* continetur etiam dos eius, sive restituta, sive restituenda, *L. Lucius Titius*, 78. §. *Idem quæsiit*, 9. *ad S. C. Trebell.* quia in bonis mulieris esse intelligitur. XXIX. Si dixit, *Rogo, des filio tuo, faciasque, ut ad eum perveniat:* censetur rogatus restituere filio post mortem suam, nempe in tempus, quo ille patria potestate fuerit liberatus, quia *pervenire* intelligitur cum effectu plenæ acquisitionis. *L. ubi*

pure, 19. *ad S. C. Trebell.* XXX. Idem, si dixit: *Filia reservetur*. *L. filiam*, 16. *de aur. et arg. leg.*

XXXI. Ab eadem regula pendet XXXI. quaestio disputata inter veteres I. Ctos. Mulier legavit ita: *Vestem, mundum, ornamentaque muliebria*. Quaerebatur de vestibus, et ornamentis, utrum muliebria dumtaxat deberentur, an et caetera. Plautius proferebat, atque probabat sententiam Cassii Sabinianae Scholae I. Cti, *si non* appareat, quid senserit testatrix, omnem vestem videri legasse. Paulus notat, idem sensisse Iavolenum pariter Sabinianum, quia (haec ratio Iavoleni) *verisimile est, testatricem tantum ornamentorum universitati derogasse, quibus significationem muliebrium accommodasset. Accedere eo, quod illa demonstratio, muliebria, neque vesti, neque mundo applicari, salva ratione recti sermonis, potest*. *L. Plautius*, 8. *de aur. et arg. leg.* Quae sententia vera est. Nam, utut non raro, pluribus rebus, sive subiectis nominatis subiici soleat nomen adiectivum, quod ad priora omnia referatur per figuram, quae *Zeugma* dicitur a Grammaticis, de qua illi: tamen in proposita specie aliud dicendum, quia *muliebria* non videtur adiectum *mundo*, qui tantum muliebris. Igitur non potest referri ad omnia, quae praecedunt. Neque igitur ad vestem.

XXXII. Contrarium XXXII. vero Proculus censuit in hac simili in speciem hypotesi. Maritus ita legavit: *Uxori meae vestem, mundum muliebrem, ornamenta omnia, aurum, argentum, quod eius causa factum, paratumve esset do lego* Quaerebatur an postrema illa adiectio, *quod eius causa fa-*

ctum, paratumve esset referretur ad omnia superiora: an vero dumtaxat ad proxima, nempe *aurum, argentum*. Ita censuit Proculus, eaque adiectione legatum restringi. Quam sententiam probavit Javolenus *L. heres*, 100. §. 2. *de legat.* 3. Differentia inter hanc speciem, et superiorem hæc est, quod postrema illa clausula, *quod eius causa factum, paratumve esset* potest ad omnia referri per *zeugma* sine ullo sermonis vitio.

XXXIII. Quæstio similis proponitur XXXIII. in *L. Seia*, 20. §. 2. *de instruct. et instrum. legat.* Legatum ita relictum, *Caio Seio fundos meos illum, et illum ita, ut instructi sunt, et domum superiorem dari volo.* Quæsitum, an et domus tradi deberet instructa. Scævola respondit, et domum instructam videri datam. *L. Seia*, 20. §. 2. *de instruct. et instrum. legat.* Nam dictio, *et*, communem facit sequentibus cum præcedentibus adiectionem, sive attributum, *ita, ut instructi sunt*.

XXXIV. Eidem regulæ hæc quoque sunt consequentia XXXIV. Si testator, duobus heredibus institutis, proprietatem legavit, deducto usufructu: amissus ususfructus non ad coheredem pertinebit, qui coniunctus non est in usufructu: sed ad proprietatem revertetur. *L.* 1. §. *ult. cum L.* 2. *et* 3. *de usufr. accresc.* XXXV. Usu sylvæ legato, recta Divus Adrianus statuit, *fructum quoque legatum videri, quia, nisi liceret legatariis cædere sylvam, et vendere, quemadmodum usufructuariis licet, nihil habituri essent ex eo legato. L. Divus*, 22. *de us. et habit.*

XXXV. In oratione autem ambigua Macianus *L. in*

ambiguis, 98. *de R. I.* monet, *maxime sententiam spectandam eius, qui eas protulisset*. Quod aeque valet in oratione obscura. Utemur proinde regulis traditis §. *IV. seqq.* Hinc I. legatum relictum ab impubere inutiliter a pupillari substituto repetitur. II. legatum relictum Jesu Christo, vel Angelo, aut Sancto alicui debetur ei Ecclesiae illi dicatae, cui testator bene erat affectus: vel tandem Ecclesiae maxime pauperi civitatis vicinae, vel in metropoli. *L. ult. C. de Sacros. Eccles.*

XXXVI. Ad haec III. qui impuberi, et simul adulto substituit eadem oratione, censetur impuberi substituere eo solum casu, quo substituere potuit adulto *L.* 4. *C. de impub. et al. subst.* IV. Si quis instituit, *si mihi filii intra X. menses nascentur*: succedunt nati eum in vita patris, cum intra X. menses a morte ipsius. *L. ult. Cod. de postum. her. inst.*

XXXVII. Si V. is, qui pure legaverat a filio impubere herede instituto, legatum repeterit a substituto pupillari, et filius legatum solverit, deinde impubes decesserit: nihil a substituto debebitur. *L. Si fundum*, 81. §. *Si paterfamilias*, 7. *de legat.* I. VI. Diversum si in repetitione quidpiam adiecerit testator. Si enim, cum legasset ab impubere filio X. sub conditione, a substituto eius repeterit pure: dicemus, conditionem detractam, et pure a substituto deberi. *L. Si cui*, 52. §. I. *de legat.* I. Eadem ratione VII. si a substituto legatum ita repetiit, *Hoc amplius V.*: substitutus debebit V. supra id, quod legatarius ab impubere habuit. Cuiac. *ad d. L.* 53. §. I. Caeterum substitutus pupillaris legata a se ipso repetita interdum praestat ex per-

sona sua: interdum ex persona impuberis. Ex persona impuberis, tanquam heres eius, si impubes patri heres extitit, et postquam se immiscuit paternæ hereditati, decessit impubes, non solutis legatis, quia legata pure relicta cœpit debere. *L. servo*, 113. §. *sed si*, 3. *de legat*. 1. Ex persona sua, si vel legatum ab impubere sub conditione, a substituto pure fuerat relictum, sive a filio sub conditione, qua pendente, filius heres decesserit, vel filius recusaverit paternam hereditatem. *L.* 52. §. 1. *d. L.* 81. §. 7. *de legat*. 1. Hic enim legatum incipit deberi a substituto.

XXXVIII. Legata VIII. et fideicommissa relicta ab herede instituto, censentur repetita a substituto, qui locum occupat instituti, atque ex rescripto Impp. Severi, et Antonini *L. licet*, 74. *L. ab exheredati*, 126 §. 1. *de legat*. 1. *L. debitor*, 82. §. 1. *de legat*. 2. *L.* 4. *C. ad S. C. Trebellian.* Sed hæc coniectura contrariis refellitur, puta si ab instituto certa res, diversa a substituto fuit relicta, quia hæc non est unius, eiusdenque legati repetitio, sed duo legata diversa: sive testator sequenti scriptura dixerit: *Quas pecunias legavi, quibus dies apposita non est: annua, bima, trima die* (hoc est tribus pensionibus, et annis) *heres meus dare damnas esto*, quia testator non repetiit hoc modo legatum, sed diem prætermissum adiecit, ut ex Papiniano docet Ulpianus *L. legata*, 19. *pr. de legat*. 1. sive a substituto legavit ob tutelam impositam legatario, nempe ob eandem rationem: sive ab instituto legavit opus ab ipso instituto faciendum. Aguirr. *de Tacit. condit. repetit. Cap.* 1. *Prælud.* 4. *n.* 3. *cum seqq.* Similiter IX. fideicommissum re-

lictum a legatario censetur repetitum ab eo, in quem legatum fuerit translatum. *L. legata*, 19. §. 1. *de legat.* 1.

XXXIX. Ab iisdem fontibus petenda est X. solutio quæstionis, quam tractat Papinianus *L. cum pater*, 77. §. *cum existimaret*, 29. *de legat.* 2. Qui per errorem putabat, omnia bona sua ad Caiam consobrinam suam perventura, codicillis ab intestato factis fideicommissa pluribus ab ea reliquerat. Sed propinquus alter eiusdem gradus semissem hereditatis abstulit. Quæritur, utrum Caia debeat solida fideicommissa: an vero pro parte, et an alter propinquus heres insperatus partem ullam debeat fideicommissario. Papinianus respondit, *rationibus æquitatis, et perpetui edicti exemplo pro parte dimidia* mulierem relevandam. Cum provocat ad æquitatem, significat, iure stricto aliter respondendum. *Perpetui* vero *edicti* nomine intelligit edictum Prætoris de bonis libertorum, quo cavetur, ut, si patronus, cui semis bonorum liberti intestato mortui sine liberis debetur, §. 1. *I. de success. libert.* auferat heredi liberti portionem debitam: heres liberti pro parte *exoneretur* legatis, vel fideicommissis, ut docet Iulianus *L. libertus*, 20. §. *si libertinus*, 14. *de bon. libertor.* Paulus *L. Plautius*, 43. *pr. de condit. et demonstr.* Id Papiniani responsum confirmatum quoque fuit D. Marci rescripto in *L. in ratione*, 11. §. *Imperator*, 2. *ad Leg. Falcid.* Contrarium tamen responderat Scævola præceptor Papiniani *L. post emancipationem*, 40. *de legat.* 3. nempe eum, quem mihi legitimum ex asse heredem fore putabam, legata, quæ ab eo codicillis dedi, integra præstare debere, etiamsi alter propinquus meos se-

missem ei abstulerit hereditatis. Sed ex iam dictis constat, Scævolam de summo iure respondere, qua parte consentit cum Papiniano, neque negat, in contrarium nos ducere æquitatis rationem, qua nititur Papiniani responsum, quæque prævaluit, ut docet *Cuiac. ad Papinian. d. L. 77. et d. L. 11.*

XL. Ab iisdem fontibus manavit XI. Modestini responsum *L. Titia, 34 pr. de legat.* II. Materfam., Mævia, et Sempronio filiis heredibus institutis, Mæviam rogavit, ut Stichum manumitteret; hac ratione adiecta: *Cum in ministerio tuo tot capita servorum tibi codicillis legavero*, quorum nullos ei legavit. Quæsitum fuit, an deberet manumittere. Quod Modestinus negat. Nam testatrix voluit, servum a filia manumitti ob capita servorum filiæ leganda. Quod cum non fecerit: credibile est, quasi sub conditione, si legaret, manumitti voluisse servum. Quæ conditio cum defecerit, simul defecit fideicommissum libertatis servi.

XLI. Unde XII. ubi maritus, qui nonnulla donaverat uxori, eamdem instituit heredem, atque rogavit, ut *quodcunque cepisset*, liberis suis redderet. Quæsitum fuit, an fideicommisso continerentur etiam donationes, quæ initio erant inutiles, sed morte confirmantur, atque im ex constitutione Iustiniani, ut initium accipiant ex eo tempore, quo factæ sunt, quasi iam ex eo tempore valuissent. *L. donationes, 25. C. de donat. inter vir. et uxor.* Ac Papinianus negat contineri; quia non videtur capere ex hereditate, de qua sermo testatori, donationes, quæ, et alio here-

de existente, confirmasentur morte viri. *L. unum ex familia*, 67. *cum L. seq. de legat.* 2. Si XIII. pater filiæ legavit *fundos cum casulis, et cum omnibus pecoribus, iumentis, cæterisque universis speciebus, quæ in iisdem fundis, quove eorum, cum moriar, erunt, uti optimi, maximique sunt, utique eos in diem mortis meæ possedi, et, ut plenius dicam, uti cluduntur.* Quæsitum fuit, an fideicommisso continerentur instrumenta contractuum, aut nomina debitorum, quæ ibi reperta. Quod Paulus *L. si mihi*, 92. *de legat.* 3. negat, quia ex re ipsa apparet, testatori sermonem esse de fundis, eorumque accessionibus, quo numero non continentur ea, de quibus quæritur. XIV. Dote filiæ legata sine quantitate: legatum valet, quia quantitas sumitur ex constitutione iuris, quo cautum, ut modus paternæ dotis sumatur ex dignitate cum puellæ, tum sponsi, et facultatibus paternis, atque ex usu regionis. *L. cum post*, 69. §. *gener*, 4. *de iur. dot.* XV. Eadem ratione valet legatum dotis constituendæ arbitrio tutorum filiæ, *L. filiæ*, 43. *de legat.* 3. quia censetur relicta ad arbitrium boni viri, qui modum sumet a constitutione iuris.

XLII. Ad hæc XVI. alimentis legatis sine quantitate, modus sumitur ex facultatibus legantis, et dignitate, atque caritate personæ. *L. pen. pr. de alim. legat.* XV. Legatum annuæ pecuniæ civitati relictum ad ludos, censetur perpetuum, quia ludi non finiuntur vita heredum, *L. 6. de ann. legat.* Similiter XVII. Alimenta relicta censentur relicta ad vitam. *L. Mela*, 14. *pr. de alim. legat.* XVIII. Numero nummorum legato non expressa quantitate, seu genere nummo-

rum, ante omnia coniectio sumenda ex consuetudine testatoris. *L. si servus*, 50. §. *ult. de legat.* 1. *L. nummis*, 75. *de legat.* 3. *L. heredes*, 21 §. 1. *qui test fac. poss.* XVIII Alimentis sine quantitate legatis, primum inspiciemus usum testatoris, ut idem modus servetur, quo ipse uti solebat, *L. pen pr. de alim leg.* deinde conditionem personarum, et vires patrimonii.

XLIII. Similiter XIX. si penum uxori legavit, cum vim magnam penoris haberet: quaeremus, an consueverit portionem, et quotam assignare uxori. Sin minus tantum ei dabimus, ut in annum sufficiat. *L. cum quaereretur*, 60. § 2. *de legat.* 2.

XLIV. Si XX. lanam, et similia legavit uxori: videndum, quae fuerit eius consuetudo: si nihil appareat: dabimus uxori tantum, ut in annum sufficiat. *L. cum quaereretur*, 60 §. 2. *de legat.* 2.

XLV. Si dixit XXI. se legare *ornamentum omne meum*: non continetur quod non retinendi, sed negotiandi causa habebat. *L. pediculis*, 32. §. 4. *de aur. et argent. legat*, XXII. Si is, qui fructus vendere, aut negotiari consueverat, uxori legavit penum: uxori dabimus quae sibi solebat separare: sin minus quantum ei, familiaeque sufficiat ad annuum usum. *L.* 4 § 2 *de pen. legat.*

XLVI. Quod si XXIII. testator ita legavit, *quae vivus praestabam*: dabitur etiam habitatio praeterea: non tamen debentur ea, quae incertam, sed ea tantum, quae certam erogationis formam habebant. *L. Seio*, 10. §. 1. *de annu. legat.* XXIV. Si legavit vestem muliebrem: non debetur,

qua testator uti consnevit, etiamsi mulierum gratia inventa. *L. later vestem*, 33. *de aur. argent. legat.*

XLVII. Habens XXV. duos fundos iunctos utrunque legavit, cum boves, qui in altero opus faciebant in alterum reverterentur. Quaesitum fuit, ad utrum pertinerent. Ulpianus respondit, boves dividi non posse, verum si appareat, cui agro paterfamilias destinaverit, ad hunc pertinere, *ceteri enim agri ab hoc agro veluti mutuantur*. Si non apparuit: neutri agro cedere. *L. quaesitum*, 12. §. *Si quis*, 14. *de instruct. et instr. legat.* Sed Labeo, et Trebatius, quibus assentitur Javolenus, putant, boves ei fundo cedere, *ubi opus fecissent, non ubi manere consuevisseat*, *L.* 4. *eod.* quia ex facto apparet, ei fundo esse destinatos.

XLVIII. Ad hæc XXVI. *Fundi instructi* legato non continentur qua non sui usus gratia, vel fundi custodiæ causa, vel vendendi, vel temporis gratia ibi habebat, *d. L.* 12. §. *Sed si*, 29. *et* §. *seq. et* §. *Instructo*, 34. §. *Papinianus*, 37. *et* §. *Idem respondit*, 39. *L. Generali capite*, 32. §. 2.

XLIX. Similiter XXVII. ita pater legavit: *si quid cuique liberorum meorum dedi, aut donavi, aut in usum concessi: id sibi praecipiat, sumat, habeat.* Cum filii nomina calendarium fecisset, id est pecuniam fœnori occupasset: quædam ex nominibus filii exegerat, et rursus post factum testamentum converterat in nomen filii. Quærebatur, an et hæc pecunia contineretur legato. Scævola *L. Lucius Titius*, 88. *pr. de legat.* 2. id, *quod ex eadem causa exactum in eadem causam redisset, deberi.* Ut enim Africanus *L. qui filium*, 64. *de legat.* 3. scribit, *quemadmodum si exacta*

pecunia, et rursus collocata essent, permutatis nominum non perimeret, vel minueret fideicommissum: ita ipsa quoque pecunia, si adhuc calendario, idest nominibus faciendis, destinata essent: eidem fideicommisso cedere debeat. In hypothesi autem proposita sequens factum ostendit destinationem in nomen sibi.

L. Rursum XXVIII. pater legavit filio *nomina ex calendario, quae elegerit filius meus sibi, viginti.* Deinde, cum filio rerum suarum omnium administrationem concessisset: filius fortasse non ignarus legati post factum testamentum ante mortem patris novos debitores amplarum pecuniarum fecit contra morem patris. Unde viginti nomina recenter facta fere universam calendarii pecuniam absorbebant. Quaesitum fuit, an ex postremis hisce nominibus posset eligere. Scaevola respondet, filium electurum ex his, quae testamenti tempore pater in calendario habuerit. *L. nomen,* 34. §. 1. *de legat.* 3 Pater enim ex notis, non ex ignotis legare voluit: de ignotis ne cogitavit quidem. Similiter XXIX. Si testator legavit *quidquid in horreo meo erit:* debebitur quidquid ao, etiam postea, a testatore, aut iussu eius translatum fuerit: non quae ipso ignorante, augendi legati causa legatarius postea intulit in horreum, *L. omnia,* 32. §. *cum ita,* 3. *de legat.* 2. quia testator sensit de rebus sibi notis, non de ignotis. Sic legato fundo *cum his, quae ibi sunt,* legatario non debentur, quae ipse amplificandi legati gratia in fundum congessit inscio testatoris. *L. Si uxori,* 39 §. *ult. de aur. argent. legat.*

LI. Si XXX. legat *quae in fundo, vel domo mea erunt,*

cum moriar: Labeo, et Proculus communi sententia responderunt, *nec quod casu abesset, minus esse legatum: nec quod casu ibi sit, magis esse legatum*, videlicet interpretatione sumpta ex consuetudine, atque usu testatoris. Quare si XXXI. legavit *quod domi meæ erit*, vel *est:* censentur legata quæ ibi maiore parte anni, et manendi causa solebant esse. *L. cum de laniouis*, 18. §. *Sabinus*, 12. *de instruct. et instr. legat.* Quare neque legato continentur pecuniæ, quæ ibi sunt fænerandi causa, *L. quaesitum*, 78. §. *ult. d. L. Si ita*, 86. *de legat.* 3. Continetur tamen pecunia, quam ibi repositam habebat præsidii causa. *L. Si chorus*, 79 §. 1. *de legat.* 3 Unde quod Scævola scribit *L. Si mihi*, 93. §. 1. *de legat.* 3. *si quis legavit domos, in quibus habito, nullo omnium excepto, cum omni instramento, et repuitis omnibus: am contineri pecuniam numeratam*, hoc intelligendum de pecunia, quæ ibi non sit præsidii causa. Ex contrario continentur quæ casu absunt, quod custodiæ, vel temporis causa sint alio translata. *L. huiusmodi*, 84. §. *legatum*, 10. *de legat.* 1. *L. quaesitum*, 78. *pr. et* §. *ult. de legat.* 3. *L. Seiæ*, 20. §. *Pamphila*, 6. *L. prædia*, 27. §. 1. *de instruct. et instr. legat. L. Si uxori*, 39 §. 1. *de aur. arg. legat.*

LII. Præterea XXXII. si qui fundum Seianum, ut facilius locaret, in duas partes diviserat, quarum alteram ex loco appellabat Seianum superiorem, alteram Seianum inferiorem, legavit *fundum Seianum:* responsum est, totum deberi legatario. *L. Caius Seius*, 86. §. 1. *de legat.* 2. Nam primum duæ illæ partes constituebant universum fundum Seianum, quem totum legavit testator. Deinde, cum ille

nec *superioris*, neque *inferioris* mentionem fecit, indicavit, se fundum, qualis re vera erat, totum legare, non partem.

LIII. Huc etiam pertinet XXXIII. species, quam tractat Papinianus *L. 3. §. 3. de usur.* Mulier Pollidium propinquum suum instituit heredem, eumque rogavit, ut filiæ ipsius testatricis restitueret *quidquid ex bonis eius ad se pervenisset, cum certam ætatem puella complesset*, retento fundo, ratione addita, *ne filiæ tutoribus, sed potius necessitudini res committerentur*. Quærebatur, an fructus ex bonis percepti essent restituendi. Ac Papinianus respondit, restituendos, atque obtinuit tum quia ratio restantis, quæ pro interprete est, ostendit, matrem voluisse prospicere filiæ, non propinquo: tum quia cum fundum heredi iussit, ut sibi retineret, etiam fructus adiecisset, si voluisset, eum fructus quoque lucrari.

LIV. Item XXXIV. est quæstio sequens. Testator filium instituit heredem ex dodrante, uxorem suam, quam superduxerat, ex quadrante. Filium rogavit, ut novercæ restitueret hereditatem. Ab uxore petiit, ut *infirmitatem filii*, hoc est infirmam ætatem, *commendatum* haberet, eique menstruos aureos denos præstaret, donec ad vigesimum quintum ætatis annum perveniret: cum vero ille implesset eam ætatem, ut ei partem dimidiam hereditatis restitueret. Filius partem suam hereditatis restituit statim novercæ, deducta quarta parte, quæ ex novem unciis detrahit duas uncias cum sicilico, idest quarta parte alterius unciæ. Quo factum est, ut noverca inciperet habere universæ hereditatis dodrantem, semunciam, et sicilicum, idest quartam

alterius unciæ partem. Quærebatur primum, an adulto iam privigno noverca restituere deberet universæ hereditatis semissem: an vero semissem partis suæ. Ac Scevola respondit, tantum restituere debere quantum cum eo, quod Falcidiæ nomine filius deduxisset, faceret semissem universæ hereditatis. *L. liberto*, 21. §. *filium*, 2. *de Annu legat.* Quamobrem vero? Nempe quia filio pridem minori voluit consulere: sed simul voluit, parem esse utriusque conditionem. Nam eo modo restituit filio quod ei ademerat, ac uxori dederat: mulieri autem post eam restitutionem remanet quadrans hereditatis, quem ei directo reliquerat Nam legati, seu fideicommissi commeatu usus est, ut apud uxorem servaretur reliquum hereditatis. Ita XXXV. Scevola *d. L.* 21. §. 2 *de annu. legat.* proponit hanc hypothesim. Paterfamilias filium ex dodrante, uxorem ex quadrante instituit heredes, a qua petiit, ut infirmitatem filii minoris commendatam haberet. A filio petiit, ut hereditatem restitueret novercæ: a noverca, ut menstruam summam filio præstaret, donec iste impleret annum 25. Quo cum filius pervenisset, uxoris fidei commisit, ut partem dimidiam hereditatis illi restitueret. Quæsitum est, an cum parte hereditatis etiam fructus medii temporis noverca deberet restituere. Quod Scævola affirmat, quia testator commento fideicommissi prospicere voluit infirmitati filii minoris.

LV. Ab iisdem fere principiis pendet XXXVI. species, quam tractat Papinianus *L. cum pater*, 77. §. *Curatoris*, 14. *de legat.* 2. Omnibus vulgo notum est, alteri per alterum

nihil iuris posse acquiri: multo minus tolli. Demum in re plane dubia id accipiendum, *quo res magis valeat, quam pereat*. *L. Quoties*, 12. *de reb. dub. L. quoties*, 21. *de V. O.* Pa terfam. maiori fratre herede instituto, cavit, ut fratris cu rator administrationis suæ rationem, et reliqua redderet fratri suo, cum hic ad *aetatem suam pervenisset*, hoc est ad maiorem ætatem. Papinianus respondit, fratrem heredem posse statim cum illo agere, cum illis verbis *fratri potius consultum videretur*, ne in minori ætate pecunia periclitaretur, *quam solutio, quae iuste fieri potuit, dilata*, hoc est, quis noluit differre redditionem rationis, ac solutionem reliquorum, ut curatori prodesset, sed ut fratri prospiceret, ne aut circumveniretur in rationibus, aut pecuniam reliquorum perderet.

LVI. Pariter XXXVII. Si testator dixit. *Deductis legatis, restituas hereditatem:* heres non deducet legata, quæ iure non consistunt, *L. cum heres*, 51. *ad S. C. Trebell.* qua putabat recte esse relicta.

LVII. Ad hæc XXXVIII. qui Titio pecuniam legavit, *ut usum eius Titius haberet*, atque post eius mortem ad Mævium perveniret: proprietas eius Titio videtur legata, et *usus* facta mentio, quia post mortem legatarii restituenda erat Mævio. *L. ult. de usufr. ear. rer. quæ us. cons.* Eadem ratione XXXIX. si testator species auri, et argenti legavit uxori cum hac adiectione, *A te, Seia, peto, ut quidquid tibi specialiter in auro, et argento legavi, id, cum morieris, reddas, restituas* illi, aut illi. *Quarum rerum usumfructum, dum vivet, tibi sufficiet:* responsum est, Seiæ pro-

prietatem legatam eum onere fideicommissi, atque ob eam rem iniectam mentionem ususfructus. *L. Species*, 15. *de aur. arg. leg.* Et similiter XL. in ea specie, ubi mater, instituta filia herede, iusserat, universa prædia, quæ in dotem dederat, marito *dari ad fructum, usumque vitæ, neque inquietari eum dotis nomine*, hoc adiecto: *Erunt enim tua*, sic filiam alloqnta est, *turorumque liberorum* post mortem eius: Modestinus respondit, prædia marito legata, eunque rogatum videri, ut post mortem snam restituat filiæ, eiusve liberis, *d. L. Titiu*, 34. §. *ult.* Cuiac. *ad Digest.* et *ad Modestin. d. L.*

LVIII. Si XLI. legato sic relicto, *damnas esto dare quantas summas dictavero, dedero*, præter summas adscripserit etiam species: has quoque deberi, Mucianus respondit, *L. quisquis*, 95. *de legat.* 3. quia hoc verbum, *quantas*, et verbum, *summa*, non pertinent tantum ad pecuniam numeratam: tum quia credibile non est, post eam præfationem adiectnrum fuisse species corporum, si solam pecuniam numeratam dari voluisset.

LIX. Item XLII. si filiabus legavit: etiam posthuma continebitur, si eius mentionem fecerit aliqua parte testamenti. *L. qui filiabus*, 17. *de legat.* 1. XLIII. Usufructu legato, alternis annis Titio, et Mævio, prior fruetur priore loco nominatus a testatore. *L. quoties*, 34. *de usufr.* XLIV. Legato tibi usufructu rerum, detrahentur res tibi legatæ. At legato usufructu æstimationis, nihil detrahetur. *L. Si alii*, 42. *de usufr.*

LX. Licet appellatio *pecuniæ* significet quæcunque sunt

in patrimonio: *L. 5. L. taetam*, 88. *L. cum stipulamur*, 97. *de V. S.* ideoque etiam corpora, *L. pecuniae*, 178. *pr. eod.* et omnes res tam immobiles, quam mobiles, et rem iura, quam corpora: *L. pecunia* 222. *eod.* remen XLV. tali scriptura, *quas pecunias legavi, quibus dies appositus non est, eas heres meus, annua, bima, trima die* (hoc est tribus annis pensionibus) *dato*: non contineri corpora legata, sed tantum ea, quae pondere, numero, mensurave constant, Ulpianus respondit. *L. talis*, 30. *de legat.* 1. Nam triplex est *pecuniae* significatio: lata, quae continet quaecunque sunt in partimonio: stricta, quae omnia, quae constant pondere, numero, et taensura. Strictissima, quae solam pecuniam numeratam. Wissenbach. *ad d. L.* 5. § 9. Adiectio antem illa, ut praestentur tribus pensionibus annuis, quae non convenit, neque adbiberi solet speciebus corporum legatis, intelligitur pertinere ud legata quantiretum Cuiac. *ad d. L.* 30.

LXI. Eadem tatione XLVI. Scaevola interpretatur speciem, quam proponit, *L. alt. de reb. dub.* Testator plures servos testamento manumiserat, in quibus Sabinam, et Cyprogeniam, cum quisque eorum ad trigesimum aetatis annum pervenisset, et cuique certam summam, cum liber esset, dari iusserat. Tum coniuncta scriptura ita caverat; *Sabinae, et Cyprogeniae dari volo, cum ad aetatem aetatem pervenerint, singulis X. et hoc amplius alimentorum nomine in annos singulos, quoad vivent, singulis X.* Quaerebatur, utrum annuum legatum X. ad alitaenta soli Sabinae, et Cyprogeniae: an vero et reliquis manumissis videretur relictum.

Scævola respondit omnibus relictum. Ratio ex coniunctione scripturæ. Cuiac. et Donell. *ad d. L. ult.*

LXII. Si quis XLVII uxore herede instituta, ita rogavit: *Peto de te, uxor carissima, uti, cum morieris, hereditatem meam restituas filiis meis, vel uni eorum, vel nepotibus meis, vel cui volueris: vel cognatis meis, si cui voles, ex tota cognatione mea*: mulier scripturæ ordinem in fideicommisso debet servare, ut filios omnino præterire non possit: si filii esse desierint, possit ex nepotibus eligere. Si neque nepotes existant: ad cognatos gradum faciet. *L. heredes*, 67. §. *peto*, 2. *ad S. C. Trebell.*

LXIII. Quod si quis XLVIII. leget *omnem penum præter vinum, quod Romæ erit*: hac exceptione significat, se legare penum dumtaxat qui sit Romæ. Ita Paulus *L. quæsitum*, 12. §. *idem*, 43. *de instruct. et instrum leg.* Si XLIX. unum ex pluribus heredibus iussorit, partem suam coheredibus restituere: coheredes singuli modo viriles partes, modo hereditarias accipient. Viriles quidem I. Si propriis nominibus singuli vocati sint ad fideicommissum, quia nominatione videntur exæquati, cum personas singulas appellavit. *L. quæsitus*, 23. *ad S. C. Trebell.* II. sive iubeantur pecuniam dare coheredi, et ex inæqualibus partibus instituti, æquas partes dare fideicommissi gratia iubeantur. *L.* 7. §. 2. *de reb. dub. d. L.* 23. Hereditarias autem, sive testator non expressit in fideicommisso nomina singulorum, sive iussi fuerint pecuniam dare pro partibus hereditariis, *d. L.* 23. *d. L.* 7. §. 2. *L. Lucius Titius*, 78. §. 4. *seq. ad S. C. Trebell.*

LXIV. Item L. Scævola *L. Lucius Titius*, 88. §. 2. *de*

legat. 2. proponit hanc hypothesim. Mater ita legavit: *Mevi, et Sempronï, filii mei dulcissimi, praecipitote omne quidquid ex hereditate, bonisve Titii domini mei patris vestri, ad me pervenit mortis eius tempore, ita tamen, ut onus omne eiusdem hereditatis tam in praeteritum, quam in futurum, nec non etiam si quid post mortem Titii domini mei solvi, adgnoscatis.* Quaestio etiam in Pandectis Florentinis ita expressa est: *Quaero, an, si quid solvisset post mortem mariti, cum ipsa fructus cepisset, dedisset,* nempe creditoribus. Quo loco scripturam esse vitiatam patet. Alii libri, quos Cuiac. hoc loco praefert, habent, *cum ipsa fructus, quos percepisset, dedisset, ad onus eorum pertineret.* Quibus verbis significatur, mulierem perceptos ex mariti hereditate fructus convertisse in extinctionem aeris alieni hereditarii, et ex arca quoque sua partem solvisse. Quaeritur, an filii debeant hereditati maternae restituere quaecunque illa solvit creditoribus mariti.

LXV. Ac Scaevola respondit, *ea dumtaxat onera legatariis imposuisse, quae superessent,* nempe summis perceptis ex fructibus hereditatis mariti. Quid ita? Quia dixit, se legare filiis *quidquid ad se* pervenisset ex hereditate mariti *tempore mortis ejus.* Quo quidem tempore minus erat in bonis propter aes alienum hereditarium, quo minuebantur. Igitur quod amplius esse postea caepit ob aes alienum, quod mulier solvit ex arca sua, non legavit. Ergo filii debent mariti restituere non summas, quas persolvit ex reditu fructuum hereditariorum: sed quas solvit de sua pecunia. Ad haec ipsa mater adiecit: *Ita tamen, ut omne onus eiusdem hereditatis tam in praeteritum, quam in futurum, nec non si quid post*

mortem domini mei Titii solvi, adgnoscatis. Hoc loco verbum, *solve*, quod est in vulgata, abest a Florentino archetypo vitiose. Sed ut ne a quaestione longius recedatur, postrema, quae retuli, verba significant, filios adgnoscere, id est ferre debere omne onus paternae hereditatis computandum a die mortis paternae. At quod solvitur ex fructibus hereditatis, non onerat heredem, sed quod heres solvit de suo ex arca propria. Proinde ex sententia Scaevolae filii debent matri restituere non pecuniam ex fructibus hereditaris redactam, et solutam creditoribus hereditariis: sed pecuniam, quam testatrix, accepta mariti hereditate, solvit de suo. Quod ex omnibus adiunctis Scaevola dextere colligit.

LXVI. Ab iisdem regulis pendet LI. solutio quaestionis, quam tractat Scaevola *L. Lucius Titius*, 78. §. *heredum*, 12. *ad S. C. Trebell.* Heredum fidei commisit, ut tertiam partem hereditatis restituant Seio, cum fuerit annorum XV. nempe, ut interim ipsum fructibus alerent. Cum heredes alimenta multo minora fructibus praestitissent adolescenti: quaesitum fuit, an reliquos fructus cum hereditate ipsi deberent suo tempore restituere. Quod Scaevola affirmat, quoniam ipsius fideicommissarii gratia dilata fuerat restitutio.

LXVII. LII. Fideicommisso in diem relicto, quaeritur, an, die adveniente, restitui debeant etiam fructus medio tempore percepti a gravato. Ac Paulus *L. Si ita*, 43. §. 2. *de legat.* 2. respondit, Pegasum solitum fuisse distinguere, cuius causa tempus dilatum sit, utrum heredis, an fideicommissarii. Si heredis: ab ipso fructus retinentur. Si fi-

deicommissarii, puta si restitutio dilata in tempus pubertatis, vel maioris aetatis: fructus quoque restituendos, sumpta interpretatione ex causa.

LXVIII. Si quis LIII. legavit vinum amphorarium, Aminaeum, Graecum, et dulcia omnia: ex adiunctis responsum fuit, in dulcibus nihil praeter ea, quae potionis essent, relictum. *L. ult. §. ult. de trit. vin. et ol. legat.*

LXIX. Qui LIV. *filiabus* legavit, censetur et postumae voluisse legare, si eius mentionem fecerit aliqua testamenti parte. *L. qui filiabus*, 17. *pr. de legat.* 1. sumpta ab adiunctis interpretatione ex regulis traditis §. V.

LXX. Huc pertinet LV. etiam regula, generi per speciem derogari. *L. in toto*, 80. *de R. I.* Sed distinguendum est, utrum ex abundanti ad pompam, et ostentationem generi subiiciatur enumeratio specierum: an vero non ex abundanti. Si ex abundanti: specierum enumeratio non derogat generi, quia enumeratio specierum non adiecta fuit restringendi gratia. *L. legatis*, 9. *de Supellect. legat.* ibique Cuiac. *ad Papinian.* P. Faber. *ad d. L.* 80. Quare LVI. si uni legavit universitatem praediorum: alteri certum aliquod praedium: hoc ex priori legato ademptum, atque exceptum est. *L. Titia*, 34 §. 1. *de legat.* 2. At si materfamilias uni, pluribusve legavit fundum Gargilianum, quem ipsi maritus legaverat, et alteri reliquit filio legata ipsa, quae a marito acceperat: censetur legasse filio quaecunque ipsa habuerat a marito, excepto fundo Gargiliano. *L. uxorem*, 41. §. *Felicissimo*, 3. *de legat.* 3.

LXXI. Item LVII. si certo servo libertatem dedit, ac

mihi optionem servi: non videtur voluisse illum posse eligi. *L. cum ita*, 9 §. 1. *de option. legat.* LVIII. Si alteri vinum, alteri penum legavit: vinum a penoris legato videtur exceptum. *L.* 2. *pr. de trit. vin. et ol. leg.* Si LIX uni vestes; alteri legavit vestes muliebres, vel mundum muliebrem, tertio argentum omne: mundus muliebris minuitur argento: vestes autem minuuntur mundo muliebri. *L.* 1. *de aur. arg. legat.*

LXXII. Ubi LX. paterfamilias testamento fundum instructum *cum suis villicis, et reliquis colonorum* legaverat, Codicillis postea factis, ita scripserat oblitus testamenti: *Posteα mihi venit in mentem: Seiæ fundos, quos reliqui, ita, ut sunt instructi rustico instrumento, supellectile, pecore, et villicis cum reliquis colonorum, et apotheca habere volo.* Quærebatur, an etiam ea, quæ paterfamilias usus sui quotidiani causa in fundo habebat, continerentur legato. Quod Scævola negat. *L. Seia*, 20. *de instruct. et instrum. leg.* Nam, cum oblitus esset testamenti, codicillis expressit, quænam vellet fundo accedere, ubi de urbanis instrumentis nullum verbum.

LXXIII. Verum in *d. L.* 20. secundum archetypum Florentinum legitur, testamento *insuper fundum legatum*. Quod cum sit ineptum, Cuiac. in *Lib.* 3. *Respons. Scæv.* ad *d. L.* 20. ita emendat: *Seiæ instructum fundum* legatum, optima sententia. Bynkersh. autem 3. *Obs.* 3. rejecta emendatione Cuiacii, corrigit ita, *fundos instructos cum suis villicis, et reliquis colonorum*. Putat enim, ite legatum fuisse scriptum in testamento, et ea emendatione *instructi* nomen restringi ad villicos, et reliqua colonorum. Quod non ausim probare I. quia in hypothesi Bynkershoekii non dixisset, *Fundos*

instructus cum suis villicis: sed *instructos suis villicis &c.* II. quia reliqua colonorum non continentur instrumento fundi: III. Scævola initio posuerat, legatos fuisse *fundos instructos cum suis villicis, et reliquis colonorum*. Sequenti loco Scævola in hypothesi istius Auctoris sibi adversatur. Nam detrahit a fundorum legato adiectionem, *instuctos*, quæ generalis est, eamque restringit ad colonos, et reliqua colonorum discedens a proposito. Quod ab Scævolæ exactissimi viri iudicio est alienum.

LXXIV. Huic affine est LXI. quod Paulus tractat *L. cum de lanionis*, 18 §. *cui fundum*, 11. *de instruct. et instr. legat.* Testator fundum instructum, et mancipia quædam nominatim legavit. Paulus respondit, mancipia cætera non deberi, quia *instructi* mentio cum mancipiorum enumeratione generi *instructi* derogat. Subiicit autem Paulus § *seq. ex Sabino*, si legatus sit fundus, *quæque ibi sint*: deberi, quæ ibi esse consueverant manendi, utendique gratia: non quæ postea consulto congesta cumulandi legati causa, de quo iam dictum. §. *LI.*

LXXV. Ex aliis regulis, quas indicavi § *III.* Scævola *L. Aurelius*, 28. §. *Titius*, 3 *de liber. legat.* LXII. respondit, videri, filium, qui testamento dixerat, *Seium patrem meum liberatum esse volo ab actione tutelæ*, voluisse liberationem remittere, voluisse etiam pecuniam, quam pater in rem suam verterat. LXIII. Si certam summam legavit annua, bima, trima die pensionibus iniquis: modus pensionum pro facultatibus defuncti statuet vir bonus. *L.* 3. § 2. *de annu. legat.* Vel, si dixerit statuendam boni viri arbitratu, sume-

tur ex patrimonii statu ita, ut fiat sine vexatione heredis: *d. L.* 3. §. 3. Idem, si dixerit, *pensionibus, quas putabit legatarius, d. L.* 3. §. 3. quia videtur boni viri arbitrio permisisse. Ab eodem fonte sumitur solutio quæstionis propositæ in *L. cum ab uno*, 53. *pr. de legat.* 2.

LXXVI. Præterea LXIV. si testator ab uno heredum legavit suæ uxori quantitatem animo compensandi cum dote, et mulier nolit compensare: is heres, qui dare iussus est, tantum dabit nomine dotis, quantum defunctus dare iussit compensandi gratia: superfluum coheredes, quia voluit, eam summam dari pro dote. Quod si LXV. usum equitii testator legavit aurigæ sciens eius artificium: videtur ei permisisse, ut ad Circenses ludos uti posset. *L. plenum*, 12. §. *equitii*, 4. *de us. et habit.*

LXXVII Item LXVI. domo filiæ legata, ac per domos hereditarias transeundi iure: personæ quidem, non prædii servitus hæc erit: sed licebit etiam filiæ marito transire, ita suadente affectione testatoris. *L. pen. de servit. leg.* Ex eadem ratione LXVII., domus usu relicto, potest vitum, uxorem, liberos, parentes secum legatarius habere. *L.* 2. §. 1. *de us. et habit.* Et similiter LXVIII. si usus amplæ domus legetur homini vel paupercula, vel mediocri, ut portiuncula contentus sit: permissum ei videbitur, ut inquilinos secum recipiat, qui mercede inhabitent. *L.* 4. *de us. et habit.*

LXXVIII Ad hæc LXIX. signa quædam interpretamur ex consuetudine testatoris, aut loci: *Chirograhum*, et *nomen debitoris* cum dicitur, intelligimus crediti ius. *L. servum*, 44 § *eum*, *qui*, 5. *de legat.* 1. *L. qui chirographum*, 89.

de legat. 3. Idem LXX. si nomen legetur, *L. qui chirographum*, 59. ideoque actiones mandandæ legatario, *d. L.* 44. §. *sed etsi*, 6. quemadmodum et si ita legaverit: *Quantam pecuniam heres meus a Titio exegerit: tantam Mævio dato*. Videtur enim legatum nomen. *L. ut heredibus*, 50. §. *ult. de legat.* 2.

LXXIX. Quia vero viranda interpretatio, qua inutile fiat legatum, vel fideicommissum, ut admonet Modestinus *L. Titia*, 34. § 1. *de legat.* 2. ideo LXXI. demonstratio potius, quam conditio adiecta censetur legato. Unde si testator ita legavit, *Aureos* 400. *Pamphila ita, a Iulio actore aureos tot, et in castris* (*sive in creditis*, ut Cuiac. mavult) *tot, quos habeo, tot, et in numerato quos habeo, tot*. Vivens deinde absumpserat has summas. Quærebatur, an legatum heredes deberent. Atque Iulianus *L. quidam*, 96. *de legat.* 1 respondit: *Verisimilius est, patremfamilias demonstrare potius heredibus voluisse, unde aureos* 400. *sine incommodo rei familiaris contrahere possent, quam conditionem* (nempe tacitam, *si extabunt*) *fideicommisso iniecisse, quod initio pare datum esset. Et ideo* 400. *Pamphilæ debebuntur*. Contrarium dicemus LXXII. si quid initio testator adiecerit, quod tacite conditionem faceret. Si enim is, qui sola V. in arca habet, ita leget, *X quæ in arca habeo*, sola V. debentur, quæ sunt in arca, quia eo modo, quo legavit, *quodammodo certum corpus, quod in rerum natura non sit*, videtur legasse, ut inquit Africanus *L. si servus*, 108 §. *qui quinque*, 10. *de legat.* 1. Inest autem huic legato tacita conditio, si exisrent in arca X., eum dari non possit corpus, quod non existit.

LXXX. Quod si LXXIII ita rogat heredem, *Cum volueris, dato*, non est simile legato, *si volueris*, sed legato, *cum morieris*, quia morte finitur voluntas. Unde si legatarius praemoritur heredi, non trasmittit legatum, quod perinde est, ac si relictum esset ita, *cum praemorieris legatario*. *L. fideicommissa*, 11. §. *hoc autem*, 6. *de legat.* 3. *L. uxorem*, 41. §. *pen. eod.* Si testator LXXIV. dixit, *Ille, aut ille mihi heres esto: Illi, aut illi do lego: Illum, aut illum tuterem esse volo: aut* accipitur pro *et*, ne inutilis efficiatur voluntas. *L. pen. C. de V. S.* Alio iure utimur LXXV. ubi, cum testatori summa deberetur a Caio ex testamento Maevii: creditor novavit obligationem, deinde legavit ita: *Heres meus Titio dato quod ex testamento Maevii debetur mihi*: Papinianus respondit, *falsam demonstrationem legatario non obesse, nec in totum falsum videri quod veritatis primordio adiuvaretur*. *L. cum filius*, 76. §. *heres meus*, 3. *de legat.* 2. Origo enim crediti erat ex testamento Maevii: testator autem spectavit originem, quae satis expressa est. Marcellus autem, *L. cum in testamento*, 24. *de reb. dub.* monet: *Cum in testamento*, inquit, *ambigue, aut etiam perperam scriptum est, benigne interpretari oportet, et secundum id, quod credibile est cogitatum, credendum est*. Nimirum scriptura adiuvanda est interpretatione, non pervertenda.

LXXXI. Quare LXXVI. si vetuero rationes exigi, aut reposci a tutore meo, vel curatore, vel eum rationes reddere vetuero: tenebitur quidem reddere pecuniam, quae mea sit apud eum, et reliqua administrationis: caeterum non exigetur ab eo scrupulosa redditio rationum, sed culpa illi

remissa intelligetur. *L. si servus*, 119. *de legat.* 1. *L. si quis*, 9 *L. ult.* §. 1. 2 *de liber. legat.* Idemque servabitur, si heredi vetuero *agere cum eo: L.* 8. §. *pen. de liber. legat.* sive ita legavero: *Quaestionem curatoribus meis nemo faciat. Rem enim ipse tractavi. L. Aurelio*, 28. §. 1. *de liber. legat.*: sive ita: *Rationes tutelæ, quum egit Iulius Paulus, posci ab eo nolo, eoque nomine causa omni liberatum esse volo. d. L.* 28. §. *Maviu*, 4. Etenim hinc apparet liberalis erga legatarium voluntas. Illinc vero maxima erga heredem benevolentia non patitur, ut credamus, universum debitum voluisse illi remittere. Ideo mediam viam ingredimur, cum constet, damnum, quod alter nobis intulit culpa, vel etiam dolo, posse remitti. *L.* 5. §. *Julianus*, 7 *de admin. tut.*

LXXXII. Enimvero LXXVII cum testator de actore suo ita cavisset, *Rationes reddere volo eius temporis, quod erit post novissimum meam subscriptionem:* Quæ subscriptio, cum paucis diebus præcessisset mortem testatoris; heredes autem dicerent, actorem quasdam summas accepisse, neque in eas rationes retulisse: Julianus respondit, actori non permittendum, ut ob eam rem petat liberationem, *nisi et hoc ei specialiter remissum est. L. Lucius Titius*, 12. *de liber. legat.* Nempe testator non cogitavit de facto sibi ignoto.

LXXXIII. Si quis LXXVIII. nummos legavit, neque appareat, de quo genere senserit: putabimus sensisse de genere nummorum, quod alibi expressit. *L. qui non militabat*, 78. §. 1. *de her. instit.* Morem quoque inspiciemus cum testatoris, tum regionis, et adiuncta omnia. Si nulla id ex parte appareat: exiguiores debentur, *L. nummis*, 75. *de*

legat. 3. quia aerta est affectio maxima testatoris erga heredem: incerta erga legatarium. Praeterea, cum legatarius nullum certum genus nummorum possit petere: nisi velimus legatum perire, electio devolvitur ad heredem, atque in re plane incerta id sequimur, quod minimum est. Eadenque ratione LXXIX. si is, qui plura eidem legata adscripserat, deinde adiecerit, *semel*, sive *unum dumtaxat legatum* ei so velle praestari: in re plane dubia exiguius ei debebitur *L. si ita*, 14. § 1. *de legat.* 1.

LXXXIV. Item, si cui LXXX. legavit certum pondus olei, non adiecta qualitate: liberum erit heredi, cuius generis velit, dare. *L.* 4. *de trit. vin. et ol. legat.* Neque testatoris, aut regionis morem inspicimus, quia testator satis habuit, ut quod daretur, esset oleum, *d. L.* 4. Praeterea LXXXI. si sepius eandem summam ab eodem herede legavit: semel tantum debebitur, nisi legatarius probaverit, voluisse eo facto legatum multiplicare. *L. plane*, 34. §. 3. *de legat.* 1. Sed si, duobus heredibus institutis, a primo legavit V. deinde ab altero pariter V. singuli debebunt quina, nisi probaverint, cum a secundo legavit quod legaverat a primo, voluisse legati onus a primo transferre in secundum. *L. si a pluribus*, 44. §. 1. *de legat.* 2.

LXXXV. Quod si LXXXII. legavit certum corpus nummorum: hoc legatum simile est legato speciei, quod multiplicari non potest, *d. L.* 34 §. 4. At si LXXXIII. certum pondus auri, argentive: hoc legatum simile est legato nummorum, de quo dixi, *d. L.* 34 §. *Sed si*, §. sive legaverit ex iis, quae pondere, numero, mensurave constant, *d. L.* 34. §. *proinde*, 6.

LXXXVI. Quod si vero LXXXIV. certam speciem, aut corpus testamento legaverit ab uno herede, codicillis autem ab omnibus, et statim a testatoris morte heres rogatus, nondum apertis codicillis, æstimationem præstiterit legatario: non poterit iste deinde corpus ipsum vindicare ab omnibus heredibus, *L. si tibi*, 86 § 1. *de legat.* 1. *quia testator semel legatam ad eum pervenire voluit*, ut ait Julianus, *d. L.* 86. §. 1.

LXXXVII. Ex affectione testatoris sumpto argumento. LXXXV. si legavit *omnibus libertis* suis alimenta: non videntur legato contineri, quos domo expulerat, atque alere desierat. *L. Lucius Titius*, 88. §. *L. Titius*, 11. *de legat.* 2. Ad hæc LXXXVI cum pater filiorum ita fidei commisisset, *Fidei filiorum meorum committo, ut, si quis eorum sine liberis prior diem suum obierit, partem suam superstiti fratri restituat. Quod si uterque sine liberis diem suum obierit: omnem hereditatem ad neptem meam Claudiam pervenire volo:* alter decessit, superstite filio: novissimus alter sine liberis. Quæsitum est, an eius portio Claudiæ restituenda. Papinianus *L. heredes*, 57. §. 1. *ad S. C. Trebell.* censet, licet verba contrarium videantur dicere, quia in *fideicommissis voluntatem spectari conveniat*, atque absurdum sit, partis nepoti petitionem denegari, quam totum habere voluit avus, si novissimus fratris quoque portionem consecutus fuisset. Ad hæc, si conditionem accipis copulative: noces fideicommissario: si distributive, non noces.

LXXXVIII. Ex ratione pietatis LXXXVII sumptum est quod veteres constituerunt, legatum alienæ rei, quam suam

testator per errorem putavit, et quod veteres constituerant non deberi, valere, si relictum sit personæ coniunctæ, cui videatur fuisse legaturus etiamsi scivisset. *L. Quintus Mutius*, 10. *in fin. de aur. arg. legat. L. Cum alienam*, 10. *C. de legat.* Sed sublimius est LXXXVIII. notissimum Papiniani responsum in *L. cum avus*, 102. *de cond. et dem.* Quod Justinianus extendit *L. cum acutissimi*, 30. *C. de fideic.* quo gravatus fideicommisso dicitur non teneri, si liberos superstites relinquat. Heredem, cui summum honorem testator habuit, maxime carum fuisse testatori credendum est. Cuiac. *ad L. pen. de dot. praleg.* Ob eam rem LXXXIX. si maritus dotem uxori prælegaverit, quam acceptam ab eius matre ipsi matri se restituturum promiserat: non credemus, duplici præstatione voluisse onerare suum heredem: sed potius per errorem putasse, restituendam uxori. *L. pen. de dot. praleg.*

LXXXIX. Eadem ratione XC. si uxori maritus prælegavit dotem ab ea promissam, nec datam: nihil amplius debebit heres, quam ut eam liberet ab obligatione. *L. 1. §. sed etsi*, 7. *de dot. praleg.* Quod si XCI. binæ tabulæ testamenti eodem tempore confectæ, atque in alteris 50. aurei legati legantur Titio, in alteris 100. ita parcemus heredi, ut in re plane dubia liberetur dando 50. *L. Sempronius*, 47. *de legat.* 2.

XC. Item XCII. si, pluribus relictis heredibus ex partibus inæqualibus, ita legavit Titio, *quantum unus heres habebit* - tantum ei debebitur, quantum habet ex minima parte heres. *L. qui concubinam*, 29. §. 1. *de legat.* 3. Quod si cui

XCIII. legavit X., et adiecit, ut, *si legatarius perdidisset, rursus heres ei restitueret*: D. Pius rescripsit, si perdidisset, non amplius, quam semel iterandum. *Non enim onerandus est heres, ut in infinitum quoties perdiderit, restituere ei tantundem debeat: sed ut per fideicommissum posterius duplicatum eius legatum videatur*, ut docet Ulpianus *L. fideicommissa*. 51. §. *si quis*, 18. *de legat.* 3. et rursus *L.* 1. §. *si cui*, 11. *ut legat. suis. caveat.* At legatarius, cui perdendi facultatem testator dedit, heredi cavere non debet, se non perditurum. *d. L.* 1. §. 11.

XCI. Similiter XCIV. in hac oratione; *Illum, aut illum heredem, instituo, aut substituo, aut tutorem do*, *Aut* accipitur pro *Et*. *L.* 4. *C. de V. S.* XCV: Verbum, *volo*, si ex contextu intelligatur, habetur pro adiecto. *L. Verbum*, 10. *C. de Fideic.* XCVI. Facta impuberi suo heredi, et adulto substitutio; ne in persona quidem impuberis continet substitutionem pupillarem. *L.* 4. *C. de impub. et al. subst*

XCII. Ex verisimili XCVII. cum is, qui patrimonium cum fratre commune bis millium aureorum habebat, filias heredes rogasset, *Fidei vestra committo, ut pro portione vestra mille aureos a Lucretio Pacato patruo vestro accipiatis*; quinquennio autem, quo supervixit, patrimonium commune fuisset valde auctum: Scævola *L. ult.* § 1. *de legato* 2. respondit, fideicommissum fratri relictum, non si patruus nepotibus mille aureos daret: sed si æstimationem acciperent semissis patrimonii, quæ fuerit, cum ipsarum pater moreretur, quia pater voluit, ut filiæ partem suam venderent patruo, nempe iusto pretio, quale erat testamenti

tempore duorum millium: nec futura prævidit. Si XCVIII. pater, qui dotem pro filia promiserat genero, eundem legaverit filiæ: non fit verisimile, hanc voluisse duplicare. Quare legatum petenti filiæ obstabit exceptio, nisi caveat de indemnitate præstanda heredibus patris adversus maritum. *L. cum pater*, 29. *de iur. dot.*

XCIII. Ad hæc XCIX. Julianus *L. ab omnibus*, 104. *pr. de legat.* 1. in ea specie, ubi testator pluribus institutis heredibus, caverat, *Quisquis mihi heres erit, damnas esto dare Titio centum:* deinde infra comprehensum erat, ne unus ex heredibus daret, respondit, reliquos heredes tota centum debere, quia voluntas non præsumitur mutata. *L. cum qui*, 22. *de probat.*

XCIV. Instrumenta hereditaria C. deponenda sunt apud maxime dignum ex heredibus, puta apud institutum ex maiori parte: *L.* 4. §. *ult. L.* 5. *famil. ercisc.* vel apud maiorem natu: *L. cum pater*, 77. §. *pater*, 21. *de legat.* 2. vel apud eum, quem pars maior heredum elegerit: *L. cum plures*, 15. *de reb. auct. iud. possid.* vel apud eum, cuius probata est diligentia, et honestas, vel qui est amplioris honoris, *d. L. ult.*

CAP. II.

De interpretatione conventionum.

XCV. Hactenus de interpretatione ultimarum voluntatum. Videamus de interpretatione conventionum, in quibus non unius, sed utriusque partis voluntas spectanda. Ut enim monet Javolenus *L. in omnibus*, 55. *de O. et A. in omnibus rebus, quæ dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utraque parte contrahentium. Nam sive ea venditio, sive donatio, sive conductio, sive qualibet alia causa contrahendi fuit, nisi animus utriusque consentit, perduci ad effectum quod inchoatur non potest.*

XCVI. In conventionibus interpretandis valent eædem regulæ, quæ jam traditæ sunt §. *III. et seqq.* de interpretatione ultimarum voluntatum: non tamen æque omnes. Nam quibusdam frequentius: aliis rarius utimur. Hoc enim postulat natura ipsa negotiorum. Ultimæ voluntates fiunt causa liberalitatis pro arbitrio suo exercendæ: contractus causa gerendi negotii, quod quam optime gestum optamus. Qui condit ultimam voluntatem non se obligat: obligamur vero contractibus, in quibus obligationem nostram quam levissimam esse volumus. Liberalior proinde erit ultimarum voluntatum interpres, quam contractuum, propter discrimen, quod maximum intercedit inter ista negotia.

XCVII. Conventio vel aperta est, vel ambigua, vel obscura. In obscuris, et ambiguis frustra consulimus verba ipsa. Quid ergo?

XCVIII. Quærenda est sententia, quæ ex coniecturis repetenda. In obscuris I. videndum, quid actum sit. *Dictum*, et *actum* sunt opposita. *Actum* dicitur, quod contrahentes in animo habuerunt, ut facerent, neque tamen verbis idoneis expresserunt. Verba enim per se nihil valent, sed voluntas contrahentium. Contractus enim, ut inquit Paulus *L. si stipulor*, 35. *de V. O. non sum verbis, quum consensu confirmantur*. Hic autem adiuncta omnia diligenter examinanda, ex quibus voluntas possit conici. II. Fere quæ in præfationibus dicta sunt, in ipso contractu repetita intelliguntur. *L. Titia*, 134. §. 1. *de verb. oblig.* III. Ex iis pariter, quæ postea dicta, vel facta sunt, coniectura recte ducitur. Igitur, quid ante, quid postea dictum, actumve sit, diligenter inquirendum est.

XCIX. Ad hæc IV. si non appareat, quid actum sit? spectandus mos, atque consuetudo cum ipsorum contrahentium, tum regionis, *L. semper*, 34. *de R. I.* scierintque, an ignoraverint contrahentes. V. Ea interpretatio in ambiguis capienda, *qua res, qua de agitur, in tuto sit*. *L. quoties*, 80. *de V. O.* VI. Sumenda quoque a iuris constitutione. *L.* 6. *de solution.* Spectandum præterea, quid maxime sit verisimile. *L. in obscuris*, 114. *de R. I.* Si dispelli obscuritas nullo modo possit: in re dubia sequimur quod est minimum. *L. semper*, 9. *de R. I. L. semper*, 34. *eod.* Wissenbach. *ad d. L.* 9., quia promissor eo animo est, ut minus, non plus velit debere VII. Curandum, ut res, de qua agitur, in tuto sit, idest ut magis valeat, quam pereat. *L. quoties*, 12. *de reb. dub. L. quoties*, 80. *de V. O.* Quod si ne ista qui-

dem ratione possit obscuritas illustrari: dicendum erit, conventionem nullius esse momenti propter incertum obscuritatis. Neque enim errabimus, si extra verba voluntatem quæremus. Ut enim inquit Paulus *L. si stipulor*, 35 §. 2. *de V. O. Contractus non tam verbis, quam consensu firmantur*.

C. Si vero conventio sit ambigua: I. quærendum, quid actum sit, ubi consulenda singula adiuncta, loci, temporis, personarum, causæ, quæ impulit ad contrahendum, et finis propositi, et consuetudo cum pacientium, tum regionis, ac verisimilitudo spectanda. *L. eum, qui*, 41. *de V. O. d. L.* 134. §. 1. *eod. d. L.* 34 *de R. I. d. L in obscuris*, 114 *eod.* II. Deinde ea capienda interpretatio, qua res magis valeat, quam pereat, *d. L.* 34. Demum pactum ita accipiendum, ut obscuritas, vel ambiguitas noceat ipsius auctori, *L. veteribus*, 39. *de pact. L. Labeo*, 21. *L. in lege*, 33 *de contr. empt.* Denique ad, id, quod minimum est, ex iam dicta ratione summa redigenda est, *d. L.* 9. *de R. I.*

CI. Inde I. si colono remissio facta ob sterilitatem pure: non obstabit locatori, si sequentis anni copia sterilitatem præteritam compenset. *L. ex conducto*, 15 §. *Papinianus*, 4. *locat.* Quod si quis II. promittat, se daturum calendis Januariis, nec adiiciat, quibus: in re plane dubia intelligitur censisse de proximis. *L. eum, qui*, 41. *de V. O.* Si quis III. debitori suo promiserit non petere, vel *profiteor, se non teneri*: in re dubia dicemus, pactum prodesse etiam heredi debitoris, quia solemus pacisci non solis nobis, sed simul etiam nostro heredi. *L. si pactum*, 9. *de probation.*

CII. Iis regulis consequens est I. ut pacta novissima prævaleant prioribus. *L. pacta*, 12. *C. de pact.* II. Ut partem accipiens ab uno ex duobus reis, dividat actiones in partes viriles. *L. si creditores*, 18. *C. de pact.* III. Ut de alimentis præteritis possit transigi: de futuris non possit sine decreto Prætoris, quia debitoris avaritia, et fames creditoris potest alimentarium ad pessimas conditiones adducere, quod in præteritis non habet locum. *L. de alimentis*, 8. *C. de pact.* IV. ut stipulatio pœnæ cum clausula, *rato manente pacto*, præter hoc commodi, ut ultra pœnam peti possit id, quod interest, non sola pœna. *L. pen. de transact. L. cum proponas*, 17. *C. eod.* Valeron. *de Transact. Tit. 6. Qu. 2 n.* 20. V. Ut transactio non rescindatur propter nova instrumenta reperta. *L. sub prætextu*, 19. *C. de transaction.* VI. Ut nulla sit transactio, si nihil datum, vel retentum, vel promissum. *L. transactio*, 38. *C. de transaction.* VII. Ut anni integri salarium debeatur advocati præmortui heredibus: *L. post duos*, 15. §. 1. *C. de transact.* quia per eum non stetit, quominus operam suam præstaret. VIII. Ut error advocati in re facti, præsente litigatore commissus, noceat litigatori, si non revocet intra triduum. *L. errores*, 2. *C. de error. advoc.* IX. ut exceptio dilatoria non opposita initio, non posit amplius opponi, ne quidem in appellatione. *L. ita*, 13. *C. de procurator.*

CIII. Præterea X. ut gerens negotium prohibentis non agat negotiorum gestorum ad sumptus recuperandos. *L. ult. de negot. gest.* XI. Ut restitutio in integrum principalis debitoris minoris non prosit fideiussori. *L.* 1. 2. *C. de*

fideiassor. minor. XII. ut sententia contra minorem indefensum nulla: contra defensum admittat restitutionem in integrum. *L. 4. L. ult. C. si advers. rem. iudicat.* XIII. ut tempus legitimum non currat minori, excepta praescriptione longissimi temporis. *L. u. C. in quib. caus. in integr. restit. necessar. non est.* XIV. Ut minori mentienti de aetate sine dolo succurratur: non mentienti dolo malo *L. 1. 3. 6. C. Si min. se maior. dixer.* XV. Ut ei, qui aetatis veniam impetravit, restitutio in integrum ob aetatem non sit concedenda: caeterum non possit alienare immobilia ante 25. aetatis annum. *L. 1. 2. 3. C. de his, qui ven. aetat impetr.* XVI. Ut adiecto non recte solvatur, si mutavit statum. *L. Si quis, 38. de solution.* XVII. Ut ex hac stipulatione, *Si Pamphilum non dederis, centum dare spondes?* centum peti possint simul, atque servus desiit posse dari. *L. ita, 115. §. item, si, u. de V. O.* XVIII. Ut, si duo promiserint centum sine adiectione, *In solidum singuli*: teneantur quisque pro parte virili. *L. reos, 11. § 1. de duob. re.* XIX. Ut solutio, si nihil dictum, cedat in causam duriorem. *L. cum ex pluribus, 97. de solution.* XX. Ut ex pluribus condemnatis una sententia in unam summam singuli teneantur pro virili. *L. si quis, 10. § quoties, 3. de appellat. L. 1. 2. C. Si plur. un. senteat.* XXI Ut tutor non teneatur ex facto tutoris alterius provinciae. *L. 2. C. de peric. tutor.* XXII. Ut chirographum, debito soluto, petenti debitori sit restituendum. *L. ult. C. de solution.* XXIII Ut ei, qui sciens emit rem alienam, venditor non teneatur de evictione, nisi promiserit, quia videtur emisse aleam,

aut iuctum retis. *L. si fundum*, 27. *C. de evictiou.* XXIV. Ut creditor, qui pignus vendit iure suo, non teneatur quidem de evictione: *Sed utique praestare debeat, potiorem se caeteris esse creditoribus. L.* 1. 2. *C. de evictiou* XXV. Ut donatio valeat cum pacto, ut post mortem donatarii revertatur ad donantem, quia potest fieri ad tempus. *L.* 2. *C. de donation. quae sub mod.* XXVI. Ut donatio instrumenti emptionis habeatur pro donatione rei. *L.* 1. *C. de donation.* XXVII. Ut, si venditur aquae dixerit, fistulas quoque accessuras: putemus accedere etiam castellum. *L. fistulas*, 78. *de contr. empt.*

CIV. Praeterea XXVIII. Ut qui alienam hereditatem possedit bona fide: lucrum quodcunque debeat restituere heredi. *L. si et rem*, 2. *L. seq. de her. petit.* XXIX. Ut possessor post litem contestatam non praestet fatum. *L. atique*, 6. *de rei vind.* XXX. Ut minorem Praetor non restituat, nisi vel aperta circumscriptio, vel negligentia minoris doceatur. Nam aliter commercio interdiceretur misero illi, quia nemo contraheret cum eo. *L. quod si*, 24. §. 1. *de minor.* XXXI. Ut filii restitutio in integrum, etiam invito filio, concedatur patri. *L. etiam*, 29. §. *ult. de minorib.* XXXII. Ut in integrum restitutio non detur ad poenam persequendam, neque ad evitandam. *L. auxilium*, 37. *de minor.* XXXIII. Ut restitutio adversus aditionem hereditatis non noceat creditoribus non citatis. *L. etiam*, 29. §. *ult. de minor.* XXXIV. Ut non restituatur ob absentiam reipublicae causa qui damnum etiam praesens aras passurus. *L. is, qui*, 44. *ex quib. caus. maior.* XXXV. Ut absenti rei-

publicæ causa restitutio danda sit eius temporis, quo abfuit. *L. sed etsi*, 26. §. *quoties*, 8. *ex quib. caus. maior.* XXXVI. Ut querela cesset in fideicommisso reciproco. *L. si pater*, 12. *C. de inoff. testam.*

CV. Præterea XXXVII. ut ex duobus emptoribus potior sit non qui emit prior: sed cui priori tradita res est, quia dominium eo facto quæsivit. *L. quoties*, 15. *C. de rei vind.* XXXVIII. Ut mulier, quæ intercessit ex causa dotis, non iuvetur S.Cto Velleiano. *L. si dotare*, 10. *L. ult. ad S. C. Velleian.* XXXIX. Ut exceptio Velleiani S.Cti datur etiam fideiussori mulieris, *L. mulierem*, 14. *C. ad S. C. Velleian.* XL. Ut clausula generalis restringatur ad ea, quæ ante fuerint expressa. *L. 4. de transact. L. si et certa*, 31. *C. eod* XLI. Ut extra causam dotis exceptio non numeratæ pecuniæ locum habeat solum in chirographo ex causa mutui. *L. 5. C. de non numer. pecun.* XLII. Ut arbiter affectus contumelia a compromittentibus, vel altero eorum, non cogendus sit iudicare. *L. sed si*, 9 § *pen. de recept. qui arbitr. recep.* neque XLIII si alterutri accepto lata sit pœna. *L. Pomponius*, 13. *eod.* XLIV. Ut tertius arbiter eligendus sit a partibus, non ab aliis duobus, qui possunt facile dissentire. *L. item, si*, 17. §. *si in duos*, 5 *eod.*

CVI. Præterea XLV. ut pactum obscurum, vel ambiguum interpretari oporteat contra auctorem. *L. veteribus*, 39. *de pact.* XLVI. ut qui certi temporis accepit usuras non possit per id tempus creditum petere. *L. qui in futurum*. 57. *pr. de pact.*

CVII. Ad hæc sequitur XLVII. ut conductor fisci locare

possit maiori mercede. *L. Moschis*, 47. §. 1. *de iur fisc*, XLVIII. Ut emptor morosus præstet usuras pretii, *L. curabit*, 5 *C. de act. empt.* XLIX. Ut paterna donatio confirmetur etiam emancipatione filii. *L. 2. C. si quis alter. vel sib.* L. Ut maritus quod emit sua pecunia nomine uxoris acquirat sibi. *L. 5. 6. C. eod.* atque similiter quivis emens pecunia sua nomine alterius acquirat sibi. *L. 8. C. eod.*

CVIII. Præterea LI. ut qui post diem legi commissoriæ præstitutum recipit usuras, non possit infringere contractum. *L. 4. C. de pact. int. empt. et vendit.* LII. Ut valeat pactum, ne liceat locum venditum eximere commercio. *L. ult. C. eod.* LIII. Ut ea, quæ pondere, numero, mensurave constant, in dotem data, sint periculo mariti, quia videntur dari vendenda. *L. res*, 12. *de iur. dot.* LIV. Ut dos, quam is promisit, qui dotare debebat, sit periculo uxoris, et similiter quam promisit extraneus donandi causa, quia, si maritus eum convenisset, condemnatus fuisset promissor in id, quod facere posset: contra, ut sit periculo mariti, si hic novandi causa fuerit a promissore stipulatus. *L. si extraneus*, 33 *cum 2. LL. seqq. de iur. dot.* LV. Ut, dote promissa *in anno proximo*, annus computetur a die nuptiarum. *L. tali*, 48. *de iur. dot.*

CIX. Ut LVI. res comparatæ pecunia dotali, sint dotales. *L. res*, 54. *eod.* LVII. Ut, si curator iusto maiorem dotem misit: promissio pro quantitate, quæ modum excedit, sit nulla. *L. sive generalis*, 61. *eod.* LVIII. Ut valear dotis promissio facta a socero sine quantitate, quia intelligitur ad

normam iuris pro dignitate, ac viribus patrimonii. *L. cum post*, 69. §. *gener.*, 4. *eod.* LIX. Ut vir, cui mulier omnia bona sua dedit in dotem, non teneatur æri alieno: sed ut in dotem acceperit quod superest, eo deducto. *L. mulier*, 72. *eod.* LX. Ut mortis suæ causa mulier viro dotem inutiliter promittat: pater mulieris utiliter. *L. si pater*, 76. *eod.* LXI. Ut, si usumfructum in fundo viri mulier dederit in dotem: extinguatur usufructus: sed matrimonio soluto, viva muliere, illi usufructus sit constituendus. *L. cum in fundo*, 78. *pr. de iur. dot.* LXII. Ut dos data ab avo non revertatur ad patrem mulieris. *L. avus*, 79 *pr. eod.*

CX. Ad hæc LXIII. Oliveto dotali cæso voluntate mulieris reponendi gratia, ligna pertinent ad mulierem. *L. vir*, 8. *de fund. dotal.* LXIV. Ut valeat inter coniuges donatio qua accipiens non fit locupletior, et donans pauperior. *L. sed si*, 31. §. *quod vir*, 6. *seqq. L. Sulpitius*, 49. *de donat. int. vir. et uxor.* LXV. Ut donatio inter sponsos valeat. *L. Seia*, 66 §. 1. *eod. L.* 8. §. 1. *eod* LXVI Ut, si donavi Titio X. ut Stichum emeret, atque hic obierit: videndum, modus, an conditio fuerit. Si modus: non repetitur: secus si conditio. *L.* 2 §. *ult. cum L.* 3. *de donation.*

CXI. Ut LXVII. contractus novissimus primo oppositus tollat primum Ex. gr. qui precario rogavit, ac postea conduxit, habet conductum, non precarium. *L. si quis*, 10. *de acquir. possess. L.* 6. *pro empt.* LXVIII. Ut stipulatio, *per te non fieri*, non contineat *simplex abnutivum*, ut ait Paulus. *L. inter*, 83. *pr. de V. O.* hoc est meram negationem, id est promissionem facti negativi non facien-

di: sed etiam factum affirmativum, nempe curaturum se, ut id, de quo agitur, obtineri possit. *L. in illa*, 50. *d. L.* 83. *pr. de V. O.* LXIX. Ut missio in possessionem unius creditoris prosit omnibus reliquis, quasi in rem concessa. *L. cum unus*, 12. *de reb. auct. iud. possid.* LXX. Ut promittens *habere licere*, non de se tantum, sed de suis etiam heredibus promittat. *L. stipulatio*, 38. §. *hac quoque*, 7. *seqq. de V. O.*

CXII. Ad hæc LXXI. promittens, se daturum, facturumve *hoc anno*, aut *mense* non tenetur, nisi toto tempore præterito. *L. qui hoc*, 42. *de V. O.* LXXII. Stipulatio *cum volueris*, non est inutilis, sed efficitur, si moriaris antequam velle constituas. *L. centesimis*, 46. §. 2. *de V. O.* LXXIII. Qui calendis debet, si ab eo sic stipules, *Quod te mihi illis calendis dare oportet, id dare spondes?* non debet ante calendas. *L. qui sic*, 47. *de V. O.*

CXIII. Ad hæc LXXIV. ut Prætoriæ stipulationes interpretationem accipiant a mente Prætoris. *L. in conventionalibus* 52. *de V. O.* LXXV. Ut heredi adiecti non recte solvatur, quia mandatum finitum est morte adiecti. *L. cum quis*, 55. *de V. O.* LXXVI. Ut totum stipulatus, si deinde stipuletur partem, nihil agat. *L. qui usumfructum*, 53. *de V. O.* LXXVII. Ut nihil agatur, si alter de altero corpore senserit, contra, quam in iudiciis, quia contractus finnt inter consentientes, iudicium redditur in invitum, cui si liceat dissensum allegare, eludet omnia iudicia. *L. inter*, 83. §. 1. *de V. O.* LXXVIII. Ut nihil agatur, si stipuler tritiem. *L. tritiçum*, 94. *de V. O.* LXXIX. Ut ex stipulatione *insulam*,

seu *domum ædificari*, agere possimus, eum, eo cessante, tantum temporis affluxerit, ut potuerit ædificari. *L. Si stichum*, 16. §. 1. *de V. O.* ac similiter in stipulatione, *insulam fulciri*. *L. existimo*, 98. §. 1. *eod.* LXXX. Ut fraudatorio edicto sit locus ubicunque debitor sciens, se debere, alienavit omnia bona sua. *L. omnes*, 17. §. 1. *quæ in fraud. credit.*

CXIV. Ad hæc LXXXI. sequitur, ut excipiens hoc solum, quod excipit, non fateatur. *L. non utique*, 8. *de except.* LXXXII. Ut non obstet exceptio rei iudicatæ, si contra eum, qui absolutus fuit, quia non possidebat, rursus agam, eum cæpit possidere. *L. si rem*, 17. *de except. rei iudic.* LXXXIII. Ut bis promittens debeat semel. *L. qui bis*, 18. *de V. O.* LXXXIV. Ut qui dotem ita promisit, *Quodcunque arbitratus fuero*, perinde teneatur, ac si dotem spondisset *arbitratu boni viri*. *L.* 4. *C. de dot. promiss.* LXXXV. Ut qui dotantis voluntate scripsit in dotali instrumento, se amplius accepisse in dotem, quam acceperit, id, quod deest, petere possit. *L.* 4. *C. de dot promiss.* LXXXVI. Ut depositum reddendum sit etiam furi, etiam latroni, si rei dominus non petat. *L. bona fides*, 31. *deposit.* LXXXVII. Ut fideiussor qui donandi causa liberatus est a creditore, nihil petere a debitore possit. *L. Si vero*, 12. *pr. mand.* LXXXVIII. Si tibi mandavi, ut mihi fundum emeres certo pretio communem tibi cum aliis; post emptas aliorum partes, tuam partem mihi vendes pretio a me dicto. Si pretium non dixi: coacervabuntur pretia cæterarum partium, ac partem tuam mihi dabis eo pretio,

quo reliquas emisti. *L. 11 fundum*, 35. *eum L. seq. mandat*

CXV. Sequitur praeterea LXXXIX ut valeat pactum temporale, non tamen perpetuum, societatis non dividendae. *L. si convenerit*, 14. et *LL. seqq. pro soc.* XC. Ut si dixero, me emere *mihi*, *et Titio*: ego solus sim emptor. *L. fundus*, 64. *de contr. empt.* XCI. Ut si mihi fundum vendideris, exceptis lapidicinis; ego autem post multos annos lapidicinas in eo detexero: hae non sint exceptae, quia videris de iis sensisse, quae tempore contractus apparebant. *L. in lege*, 77. *de contr. empt.* XCII. Ut stipulatio, *ne luminibus officiatur*, comprehendat etiam lumina futura. *L. si servitus*, 33. *de servit. praed. urb.* XCIII. Ut depositum rogante sui commodi gratia ipsi pereat, si casu pereat. *L. 4. de reb. cred.* XCIV. Ut dissensus in titulo vitiet, licet tibi deinde obstatura sit exceptio, si dederis donandi causa. *L. si ego*, 18. *de reb. cred. L. si tibi*, 20 *eod.* XCV. Ut civitas teneatur ex mutuo accepto ipsius nomine, si pecunia probetur versa fuisse in rem eius. *L. civitas*, 27. *de reb. cred.* XCVI. Ut posterioris creditoris gratia possit creditor pignus vendere, si pretium ei superfuturum sit. *L. 6. de pign. act.* XCVII. Ut iudicandum non sit exemplis, sed legibus. *L. nemo*, 13. *C. de sent.* XCVIII. Ut relationes ante sint partibus edendae, quam ad Principem mittantur. *L. 1. C. de relation.*

CXVI. Ad haec XCIX. ut in appellatione possint nova allegari, et novae probationes fieri. *L. 4 C. de tempor. et reparation. appellat.* C. Ut unius ex pluribus litis consortibus appellatio, et ex appellatione victoria, prosit omnibus.

*

L. 1. 2. *C. si an. ex plurib. appellav.* CI. Ut rescriptum similiter impetratum ab uno in communi causa omnibus prosit. *L.* 1. *C. de divers. rescript.* CII. Ut liceat cuique loca propria vallare muro *L. per provincias*, 10. *C. de adific privat* CIII. Ut *praescriptio temporis iuri publico non debeat obsistere*, puta si quis aedificavit in foro, vel platea publica. *L.* 6. *C. de aequaed publ.* CIV. Ut boves aratorii, et instrumenta rustica non capiantur in causam iudicati. *L.* 7 8. *cum Auth. seq. C. quae res pign. oblig. poss.* CV. Ut haec oratio, *Fide, et periculo rerum mearum*, contineat generalem hypothecam. *L. si quis*, 9. *C. quae res pignor. obblig. poss.*

CXVI. Ad haec CVI. credens in emptionem praedii cum pacto pignoris, praefertur in eo praedio aliis omnibus creditoribus *L. licet*, 7. *C. qui potior.* CVII. Permittens pignus vendi, remittit tacite hypothecam. *L.* 6. *C. de remiss. pignor.* CVIII. Hypotheca specialis prius exercenda, quam generalis. *L. quae specialiter*, 4. *C. de distract. pign.*

CXVIII. Inde CIX. chirographum, soluto debito, potest condici. *L. ult. C. de solution.* CX. Venditor tenetur de evictione, etiam non promissa. *L.* 6 *C. de evict. on.* CXI. Imminente evictione in limine contractus, emptor non tenetur solvere pretium, nisi venditor satis offerat *L. si post*, 24 *C. de evictione.* CXII. Emptori scienti non tenetur de evictione venditor, nisi promiserit *L si fundum*, 27 *C de eviction.* CXIII. Creditor non tenetur de evictione pignoris. *Hoc atique praestare debet qui pignus iure vendit, potiorem se caeteris esse creditoribus. L.* 1. *in fin. C creditor. evict. pign. non debet.* CXIV. Pater, qui patitur filium suum diu agere

tanquam patremfamilias, tacite emitrit de sua potestate. *L. 1. C de patr. potest.* CXV. Traditione, et donatione instrumenti auctoritatis perficitur donatio, atque traditio rei. *L. 1. C. de donat.* CXVI. Asserrio restamentaria factae donationis esr pro fideicommisso. *L. 5. C. de donat.* CXVII. Donatio facta a parre filiofamilias confirmatur emancipatione. *L. sive, 17. C. de donat.* CXVIII. Donatio facta cum pacto alendi donantem potest revocari, si non dentur alimenta *L. 1. C. de donat. qua sub mod.* CXIX. Donatio sub conditione emancipationis perficitur morte patris. *L. ult. C. de donat. qua sub mod.* CXX. Non esr ferendus qui allegat turpirudinem suam. *L. 4. C. de revoc. donat.*

CXIX. CXXI. Pater non renetur pro filio gerere magistratum, aut publicum officium, si dissensit eius electioni. *L. 1. 3. C. de filiisfamil.* CXXII. Capienda interpretatio, qua res magis valeat, quam pereat. *L. quoties, 80. de V. O.* CXXIII. Fideicommissum tacite remissum videtur in specie *L. Procula, 26. de probat.* cum fideicommissarius pluries inivisset rationes dari, et accepti cum herede testatoris, nec unquam mentionem fecerit eius fideicommissi: nunc autem fideicommissarius petat post mortem heredis ab herede ipsius. CXXIV. stipulatio, *Per te non fieri*, non continet ex sententia contrahentium simplex abnutivum, sed et promissum enrandi, ut id fiat, de quo stipulati sunt. *L. in illa, 50. de V. O.* CXXV. Qui ita promittit, *Fide, ac periculo rerum mearum*, obligat bona sua omnia *L. si quis, 9. C. qua res pign. oblig. poss.* CXXVI. Instrumenta hereditaria deponenda sunt apud maxime di-

gnum ex heredibus, puta apud institutum ex maiori parte: *L.* 4. §. *ult. L.* 5. *famil. ercisc.* vel apud maiorem natu: *L. cum pater*, 77. §. *pater*, 21. *de legat.* 2. vel apud eum, quem pars maior heredum elegerit: *L. cum plures*, 15. *de reb auct. iud. possid.* vel apud eum, cuius probata est diligentia, et honestas, vel qui est amplioris honoris. *d. L. ult.*

CAP. III.

De interpretatione iuris.

CXX. Ius constituit summa potestas, quae si sit apud plures, ut apud nobiles, vel populum: unius personae loco universi habentur. Utimur proinde legibus, quae de ultimarum voluntatum interpretatione traditae sunt *Cap. I.* praeterquam quod minus faciles sumus in iuris, quam in ultimarum voluntatum interpretatione. Nam, quod attinet ad ultimas voluntates, celeberrima Lex XII. Tabb. *Paterfamilias uti legassit super pecuniae, tutelave rei suae, ita ius esto*, amplissimam testatori potestatem facit pro arbitrio animi sui de rebus suis decernendi, heredum instituendorum, legandique. At legislator nihil sibi amplius permittit, quam quod iustitiae, publicae utilitatis, aequitatisque ratio concedit. Arctior proinde est potestas legislatoris, quam patrisfamilias legantis de rebus suis. Huic liberum est voluntatis arbitrium: non illi.

CXXI. Vel igitur aperta est constitutio: vel ambigua: vel obscena. Si aperta: vel ei parendum est: vel Principis imploranda benignitas. Ulpian. *L. prospexit*, 12 *pr. qui, et a quib. manumiss.* Divortio facto, atque marito accusante mulierem adulterii, Lex Ælia Sentia videns, domesticum hoc crimen nulli magis innotescere, quam servis, prohibuit, ne mulier intra 60. dies *ullum omnimodo* servum alienare, aut manumittere posset, ne quæstioni subducerentur. Quærit Ulpianus an liceat eos servos manumittere, qui vel in agro, vel in provincia erant, quique, cum domino abessent, nihil videntur posse scire. At lex prohibet, *nullum omnimodo* servum alienari, vel manumitti: Ergo, si spectemus verba legis, neque istorum ullum licet manumittere, *Quod quidem*, inquit Ulpianus *l. c.*, *perquam durum est*, videlicet prope accedit ad iniquitatem. Quid ergo? Parendum legi. *Sed ita*, inquit, *lex scripta est*. Quo significat, non posse evitari legis constitutionem. Et Imperator Costantinus. *L.* 1. *C. de legib. inter æquitatem, iusque*, ait, *interpositam interpretationem nobis solis et oportet, et licet inspicere*. Quo responso breviter significat, in huiusmodi circumstantiis ius scriptum, an æquitas potius sequenda sit, quæstionem esse potestati supremæ reservatam, nullique alii permissam. Itaque ab aperto iure discedere non licet specie æquitatis. Contra facere, est leges refigere, novasque in locum earum reponere: non est agere interpretem, sed legum latorem. Igitur vel parendum legi, vel imploranda Principis clementia?

CXXII. Si vero lex vel obscura sit, vel dubia, quæ

sola indiget interprete: licet eius quærere sententiam. Hic autem agitur de voluntate unius legislatoris: non de consensu plurium. Opportunæ igitur ad hanc rem erunt cum cautione iam tradita §. C. regulæ iam indicatæ de interpretatione ultimarum voluntatum, quia ibi quoque inquirenda voluntas unius. Sed ex iis regulis aliæ frequentiorem; aliæ rariorem habiturae sunt in legibus usum, maxime ex ratione indicata §. C. Quibus autem regulis interpretamur leges: iisdem et privilegia. Nam et ista sunt leges latæ in *privos*, id est in singulos. Leges sunt amplæ, et extensæ constitutiones: privilegia angustæ. Cæterum utraque sunt ipsa potestatis supremæ, iossa, atque præcepta Imperantis, quæ eandem vim habent obligandi eos, ad quos pertinent.

CXXIII. Mens igitur legislatoris hoc loco quærenda est in ratione iuris, in adiunctis omnibus, maxime vero in causa finali, seu fine, quem sibi lator proposuit. Nam quæ lex præcipit, aut vetat, sunt media, quæ vel obstant fini proposito, vel ad finem propositum perducunt, ut etiam quæ non sunt nominatim expressa, contineantur tacita legis voluntate. Unde orta interpretatio *extensiva*, et *restrictiva*. Prior appellatur, cum constitutionem, ac verba ipsius extendimus ad ea comprehendenda, quæ proprie non continentur verbis legis, sed necessaria sunt ad finem assequendum. Posteriori locus est ubi verba latius patent, quam mens, et ea quoque aliqua ex parte complectuntur, quæ adversantur fini. Quæ quidem a lege excluduntur verba ipsius restringendo ad ea, quæ non obstant, sed de-

serviunt menti, ac fini legislatoris. Sed frustra laboramus, nisi in aperto sit finis propositus legislatori, in quo quærendo maximus labor. Sed hic articulus ab aliis multis copiose tractatus est, qui mihi hac parte otium fecere. Eos consulant qui hoc loco desiderant commentaria.

CXXIV. Lex autem extenditur etiam ad species diversi generis, ubi valeat eadem ratio. *L. illud*, 32. *ad Leg. Aquil.* Quod monet Julianus *L. non possunt*, *de legib.* ubi priora loco notat, non posse omnes articulos exprimi legibus, tum subiicit: *Cum in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is*, inquit, *qui iurisdictioni praeest, ad similia procedere, atque ita ius dicere debet*. Cui Ulpianus *L. nam, ut*, 13. *eod.* Pedii sententiam probans: *Quoties* inquit, *lege unum, vel alterum introductum est, bona occasio est cetera, quæ tendunt ad eamdem utilitatem, vel interpretatione, vel certe iurisdictione suppleri*. Vulgaris autem parœmia est, *Ubi eadem ratio, idem ius*. Enimvero nec maiestatem supremam decet, neque subiectis populis utile est, Principem esse facilem ad leges mutandas. Quare in legibus novis putandum est, quidquid expresse non est mutatum, veterum legum constitutioni relictum videri. Bene Imp. Theodosius. *L. præcipimus, in fin. C. de appellat. Quidquid autem*, inquit, *hac lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum constitutionumque regulis omnes relictum intelligant*. Idque Paulus significat, dum in *L. non est*, 26. *de legib.* scribit, non esse novum, *ut priores leges ad posteriores trahantur*, et in *L. ideo*, 27. *eod.* monet, *priores leges ad posteriores trahi usitatum esse*; et in *L. sed et*, 28. *eod.* subi-

icit, *sed et posteriores leges ad priores pertinere, nisi contraria sint*. Posterioris igitur pars est prior: prioris posterior.

CXXV. Quod magnopere animadvertendum, ut caveamus a multorum ex iudicibus nostræ ætatis largitate, qui per speciem interpretandi novas leges figunt, et legum latores magis agunt, quam interpretes legum, aut iudices, qui sunt legum ministri, ac defensores. Sed hic abusus inolevit, ut iurisprudentia non a fontibus suis repetatur, sed a lacunis, et cuncta definiantur, allegata turba Doctorum, apud quos nihil est tam absurdum, tam perniciosum, ut in eorum scriptis non reperiatur, ut idem propemodum possit repeti, quod olim Cicero de aliis: *Veri iuris germanæque iurisprudentiæ solidam, germanamque imaginem nullam tenent: umbris, et imaginibus utuntur*. Sed nolo discedere a proposito.

CXXVI. Legislatoris officium est custodia quietis, ac felicitatis publicæ. Itaque non ei convenit adversa legibus, iustitiæ contraria cuiquam concedere, aut permittere. Ob eam rem l. si cui quid Princeps indulsit, nequaquam putandum est, hoc in animo habuisse, ut iuris publici constitutionem perverteret. *L. si quando*, 35. *C. de inoff. testam.* II. Principis beneficia quam plenissime interpretamur contra concedentem. *L. 3. de constit. Princip.* iuri tamen alieno minime nocere Principem voluisse, credendum est. *L. 2. §. si quis a Principe, 16. ne quid in loc. public.* Tab. *Thesaur. locor. commun. Lib. II. Cap. 7. Axiom. 17.* Quod si quando factum videatur: Principi oratorem obrepsisse, cre-

tissimo id argumento est. Quod ne fieret, Impp. præcaverunt diligenter. Constantinus Imp. *L. 3. C. de precib. Imperator. offer.* præcipit: *Nec damnosa fisco, nec iuri contraria postulari oportet.* Et Imp. Theodosius *L. rescripta, C. eod. Rescripta*, inquit, *contra ius elicita ab omnibus iudicibus refutari præcipimus, nisi forte sit aliquid, quod non lædat alium, et prosit petenti, vel crimen supplicantibus indulgeat.* Uno verbo rescripta contra ius impetrata sunt irrita, nisi prosint supplicanti sine cuiusquam incommodo. Tale est etiam rescriptum, quo quis eximitur a publicis muneribus. *L. in fraudem, 7. C. de annon.* Eademque ratione nec præscriptio temporis iuri publico obsistit. *L. 6. C. de aqu. public.* Tabor. *l. c.*

CXXVII. Ex hisce principiis sequitur I. Ut inutile sit rescriptum eximens aliquem a publicis muneribus. *L. in fraudem, 7. C. de annon.* Ut etiam II. rescriptum, quo publicus aquæductus vertitur in usus privatos: *L. diligenter, 9. C. de aquæduct.* non quo aquæ portio ex eo derivetur sine damno publico. *L. ult. C. eod.* III. Ut S.Ctum Velleianum non prosit mulieri dolosæ. *L. 2. §. sed ita, 3. L. si mulieri, 15. ad S. C. Velleian.* IV. Ut *benignius leges interpretandæ sint, quo voluntas earum conservetur,* ut monet Celsus *L. benignius, 18. de legib.* quippe quia legislatori iustitia, et æquitas proposita.

CXXVIII. Alia prope innumera, quæ consequuntur ex principiis positis, videri possunt apud vulgares Interpretes. Neque mihi nunc vacat iis immorari.

prioribus contraria statuentes. Quibus, introductis Romæ liberalibus studiis, ac disciplinis, adiutrices manus præbuere i. Cti liberalibus disciplinis egregie instructi. Ex eo tempore differentia cœpit audiri inter *ius strictum*, et *æquitatem*. *Ius strictum* dicebatur quod ex verbis legum confectum erat: *æquitas* vero mens, atque sententia legum naturali iuri consentiens.

CXXXII. Quid iudici facto opus sit, brevi docet Imperator Constantinus *L. iudices, 9. C. de iudic.* his verbis: *Iudices oportet in primis rei qualitatem plena inquisitione discutere, et tunc utramque partem sæpius interrogare, numquid novi addere desideret.*

CXXXIII. Male consulit litigantibus, ipsique sibi iudex, qui sententiam profert obscuram, vel ambiguam. Quod si tamen acciderit: adiuncta omnia consulenda, in quibus vel maxime sunt acta causæ coram ipso exposita, præcipue vero libellus actoris, cui congruere debet sententia iudicis. Hunn. *Encyclop. iur. Part. 2. Tit. 22. Cap. 8. n. 9.*

CXXXIV. Iudex autem talis præsumitur, qualis esse debet. Eum vero oportet esse virum bonum, integrum, incorruptum, qui nihil velit aliud, quam quod legibus cautum est. Eius proinde sententia interpretationem accipit a iure. Credendum ergo est in re dubia, iudicem hoc sensisse, quod ex certa, minimeque dubia constitutione iuris pronuntiare debuit. Hunn. *Encyclop. iur. Part. 2. Tit. 22. Cap. 8. n. 7.*

CXXXV. Quod si iudex sententiam tulit rei iudicatæ contrariam: posterior hæc sententia nullius momenti est.

Prior enim prævalet, quæ vim habet rei iudicatæ, neqne iudex posteriore sententia potest ius tollere ex priori re iudicata quæsitum. *L. post sententiam*, 9. *C. de sentent. L.* 1. *L.* 3. *C. sentent. rescind. non poss.*

CXXXVI. Quod si probetur, ex falsis instrumentis, vel testimoniis, vel testibus contra fuisse indicatum: sententia nullius momenti est, videlicet vel est nulla ipso iure: vel certe in integrum restitntio concedenda. *Tit. C. si ex fals. instrum. L. divus*, 33. *de re iudic.*

CXXXVII. Quod si reus post condemnationem dicat, nullam sententiam esse, quod litigantes in re non consenserint, actor, et reus, dum de alia ipse, de alia vero actor sensit: hæe exceptio admittenda non est, quandoqnidem contractus non fiunt nisi inter volentes: indicium autem redditur in invitum, ideoque, si exceptio ista admittatur: nulla fere in iudiciis specialibus proferetur sententia, quæ a reo non eludatur. Standum est igitnr dicto, et assertioni actoris, non rei. *L. solemus*, 61. *L. si quis*, 66. *de iudic. L. inter*, 83 §. 1. *de V. O.*

F I N I S.